DE VITA ET MORTE

ROBERTI ROLLOK,

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRIMARII,

NARRATIONES;

AUCTORIBUS GEORGIO ROBERTSON,

ET HENRICO CHARTERIS.

EDINBURGI:

TYPIS JAC. BALLANTYNE ET SOC.

MDCCCXXVI.

At a Meeting of the Committee of Management of the Bannatyne Club, held in the house of the President, 28th May 1824,

Resolved, That the Life of Robert Rollok, First Principal of the University of Edinburgh, written by the Rev. George Robertson, and originally published in 1599, and a similar Narrative by Principal Charteris, contained in a MS. in the Library of the University, with Elegies on his Death, be printed for the use of the Members of the Club; and that the Rev. Doctor Lee be requested to superintend the publication.

DAVID LAING, *Secretary.*

THE BANNATYNE CLUB,

JULY MDCCCXXVI.

SIR WALTER SCOTT, Bart.

PRESIDENT.

THE RIGHT HONOURABLE WILLIAM ADAM, LORD CHIEF COMMISSIONER OF THE JURY COURT.

SIR WILLIAM ARBUTHNOT, BART.

JAMES BALLANTYNE, ESQ.

5 SIR WILLIAM MACLEOD BANNATYNE.

THE LORD BELHAVEN.

GEORGE JOSEPH BELL, ESQ.

ROBERT BELL, ESQ.

WILLIAM BELL, ESQ.

10 WILLIAM BLAIR, ESQ.

JAMES CAMPBELL, ESQ.

HONOURABLE JOHN CLERK, LORD ELDIN.

WILLIAM CLERK, ESQ.

HENRY COCKBURN, ESQ.

15 ARCHIBALD CONSTABLE, ESQ.

DAVID CONSTABLE, ESQ.

JAMES T. GIBSON CRAIG, ESQ.

WILLIAM GIBSON CRAIG, ESQ.

GEORGE CRANSTOUN, ESQ.

20 ROBERT DUNDAS, ESQ.

THE COUNT DE FLAHAULT.

JOHN FULLERTON, ESQ.

SIR JAMES G. R. GRAHAM, BART.

ROBERT GRAHAM, ESQ.

25 THE LORD GRAY.

E. W. AURIOL HAY, ESQ.

JAMES M. HOG, ESQ.

JOHN HOPE, ESQ.

DAVID IRVING, ESQ. LL.D.

30 JAMES IVORY, ESQ.

SIR HENRY JARDINE.

FRANCIS JEFFREY, ESQ.

JAMES KEAY, ESQ.

JOHN G. KINNEAR, ESQ.

35 THOMAS KINNEAR, ESQ. TREASURER.

DAVID LAING, ESQ. SECRETARY.

REVEREND DOCTOR JOHN LEE.

HONOURABLE J. H. MACKENZIE, LORD MACKENZIE.

JAMES MACKENZIE, ESQ.

40 JAMES MAIDMENT, ESQ.

THOMAS MAITLAND, ESQ.

GILBERT LAING MEASON, ESQ.

WILLIAM HENRY MILLER, ESQ.

THE EARL OF MINTO.

45 JAMES MONCRIEFF, ESQ.

JOHN ARCHIBALD MURRAY, ESQ.

WILLIAM MURRAY, ESQ.

MACVEY NAPIER, ESQ.

ROBERT PITCAIRN, ESQ.

50 JOHN RICHARDSON, ESQ.

ANDREW RUTHERFURD, ESQ.

THE RIGHT HONOURABLE SIR SAMUEL SHEPHERD, LORD CHIEF BARON OF SCOTLAND.

ANDREW SKENE, ESQ.

JAMES SKENE, ESQ.

55 GEORGE SMYTHE, ESQ.

JOHN SPOTTISWOODE, ESQ.

ALEXANDER THOMSON, ESQ.

THOMAS THOMSON, ESQ. VICE-PRESIDENT

W. C. TREVELYAN, ESQ.

60 PATRICK FRASER TYTLER, ESQ.

Vitæ & mortis D. ROBERTI ROLLOCI Scoti narratio.

Scripta per Georgium Robertsonum.

Adjectis in eundem *quorundam Epitaphijs.*

EDINBVRGI
Apud Henricum Charteris.
1599.

VITÆ ET MORTIS

D. ROBERTI ROLLOCI

NARRATIO.

ROBERTUS ROLLOCUS Rector Academiæ et Pastor Ecclesiæ Edinburgensis, ubi ætatis suæ annum 43. explevisset, 6. Idus Febr. anno 1598. non sine summo omnium luctu supremum diem obiit. Vir, ne celem quod sentio, vita innocentissimus, eruditione florentissimus, propositoque omnium sanctissimus quos unquam tulit hæc regio. Hic mihi dicendus an silendus esset, diu multumque ambigebam : silendi prompta facultas, dicendi provincia humeris impar : cum enim mecum reputarem quam locupleti cœlestium donorum supellectile ditatus ille fuerit, quanta in Deum pietate claruerit, in Ecclesiam amore flagraverit, in Principem et Patriam affectu ferbuerit, verebar ne tam eximia virtutum monumenta stili mei nube obfus-

carem potius quam illustrarem. Mœrore etiam Ecclesiæ ejus obitu benigno parente orbatæ, Reipublicæ principi alumno viduatæ, exhausta memoria mea, hebetata mentis acies, exaruit denique sermo. Sed et animo volvebam quorundam solennem consuetudinem, celebrandi etiam profanum genus hominum, quos jam claudit gehenna, eorumque encomiis multijugas paginas refarciendi, ac in iis umbratilia tantum virtutis simulacra ad cœlos usque laudibus evehendi. ROLLOCUM autem dum superesset veræ virtutis thesaurum, nunc autem cœlestis Hierusalem incolam, diuque cupita fruentem gloria, oblivionis ac silentii tumulo sepelire nefas putabam. Pensitabam etiam quam innumeris vinculis adamantinis me cum aliis plurimis sibi devinxerit ut non sine nefario scelere tantum virum taciturnitate operire me posse putem. In hoc consiliorum bivio cunctabundus diu hæseram, silentiumne an sermonem de tanto viro capesserem: tandem diuturnam cunctationem abrupi, inque eam sententiam descendi, non verborum illecebris, aut lenocinio orationis, ejus laudes amplificandi qui jam beatas sedes incolit, inexhaustoque saturatur gaudio in vultu Dei et Agni scaturiente. Verum animo meo statui ejus vitæ ac mortis inclytarumque virtutum effigiem, quam fieri potest expressam, depingere, cujus pulchritudine allecti nos qui ei supersumus, ad vitæ ejus sanctissimæ vestigia premenda sollicitemur, vitamque hanc nostram consimili exitu felici ac honoro claudamus. Et quamvis ego

deterioris notæ pictor sim, qui tam illustris effigiei lineamenta meo cælo ac penicillo ducam, Deo tamen auspice ac propitio, aggrediar tenui illa ac exili facultate qua valeo.

ROBERTUS ROLLOCUS natus anno 1555. inclyta LEVINGSTONIORUM familia oriundus, parentibus celebribus satis, ac decoris, inter binos quos habuerat fratres ætatis mediæ fuit. Pater DAVID ROLLOCUS, quod aliquam in Republica literaria suavitatem ipse hausisset, filios suos omnium, artium liberalium cultura excolendos curavit. Inprimis ei curæ fuit hic ROBERTUS, quod aliqua futuræ egregiæ in eo indolis præsagia præsensisset: eum Sterlinum amandat scholis trivialibus expoliendum, tradiditque THOMAE BUCHANANO Sterlinensi Ludimagistro, sub quo tam illustre ingenii specimen in ipsa juventa edidit, tam compto morum decore nituit, ut absque rigidiori disciplina in officio permaneret. THOMAE autem BUCHANANI affectum, mellita indolis suæ suavitate ita in se convertit, ut perpetuis incrementis adauctus ad vitæ usque periodum nunquam exoleverit. Ubi Sterlini in studiis humanioribus satis maturuisset, Andreapolin commigrat, ad studia sublimiora Philosophica nimirum capessenda. Ingressus autem Academiam cognomento Salvatorianam, in ea quadriennii curriculum Philosophicum emensus est, ubi quæ prius in eo scintillarunt virtutes, indies splenduerant:

tam autem sublime horum studiorum fastigium conscendit, ut ex condiscipulis pauci eum assecuti, nemo anteierit. Completo hoc curriculo, ob eximia quæ in eo patuere dona, in professorum Philosophiæ numerum relatus est: hac autem præfectura egregia cum laude quadriennio perfunctis, tanta industria ornavit, pietate illustravit, ut ex ejus collegis nemo eum æquaverit.

Anno 1583. Senatus Edinburgenus de erigenda Edinburgi Academia cogitare cœpit, idque suggestu viri integerrimi Jacobi Lausonii Pastoris Edinburgeni: cogitatio hæc hinc conflata, quod regni Metropolis esset, animadverteretque Senatus non sine civium, cum molestia, tum impendio esse, liberos Andreapolin aut alias regni partes erudiendos ablegare, nec ignoraret complures tenuioris sortis sic angustia rei familiaris constrictos, ut sumptus alibi quam Edinburgi educandis liberis tolerare nequirent, ac proinde coactos plerunque sublimia ingenia servilibus artibus mancipare. Ubi decretum erigendam Academiam, tum venit in deliberationem, quisnam ejus præfecturam subiret, cujus salvis auspiciis, exordium, incrementa, fastigium caperet. Placuit tandem unum aut alterum Andreapolin transmittere, qui diligenti indagine sciscitarentur quisnam huic operi apprimè idoneus esset: concordi universæ Academiæ suffragio neminen tam̄ ad provinciam hanc instructum ac Robertum Rollocum discunt, quod et ad Senatum

referunt. Senatus ubi hoc rescisset, blandè ROLLOCUM invitat, vellet tantum opus, cum ad Ecclesiæ, tum Reipublicæ insigne emolumentum auspicari, se nulla in re ei defuturum, quibuscunque posset officiis ornaturum, tandem ejus adventum impetrat. Anno eodem Edinburgum trajicit ROLLOCUS, humaniterque, (ut par erat) a Senatu excipitur.

Ineunte hyeme provinciam hanc adoritur, classemque ipse inchoat: vulgata autem fama erectæ Edinburgi Academiæ, turmatim ex omnibus regni angulis Edinburgum confluunt qui studia Philosophica ambiebant, in unam classem coalescunt. Ex iis autem plerosque laxiori trivialium scholarum disciplina effrenes, in limine rigida severitate mirè compescuit, severitatem tamen insita quadam sibi clementia prudenter temperavit: doctrinam autem qua eos imbuit, disciplinam qua coercuit, Religionis condimento sic miscuit, ut guttatim tenellis juvenum animis pietatem instillaret. In hoc enim inprimis omnes nervos intendit ut discipulos suos sanctimoniæ charactere insigniret, nec conatum tam pium successus frustrabatur, tantum siquidem hortationibus, prælectionibus sacris, quibus alia studia distinxerat, profecit, ut efferatos juvenum animos cicurarit, ac in sancti obsequii gyrum redegerit. Ubi quadriennio ad curriculi Philosophici exitum classem hanc perduxisset, ejus singulos ad examinationis amussim exactos, laurea, quam Magistralem vocant, donavit.

Visum deinde Senatui quatuor Philosophiæ professores, eruditione, morum nitore, prudentia insigniores, ROLLOCO sufficere, classibus Philosophicis præficere, qui ejus imperio ac nutu Academiam administrarent. Ex iis autem quos nuperrimè laurea redimierat, quatuor qui facto examine reliquis præluxerant, eliguntur. Hi gressibus, cum doctrinæ, tum disciplinæ, ROLLOCI insistentes demandatam sibi provinciam egregia fide ac industria administrant.

ROLLOCO interim totius Academiæ cura incubuit, illi enim moris erat, singulas classes adire, singulorum sedulitatem, progressus in studiis, observare, si quæ turbida excidissent, egregia celeritate ac prudentia componere, universos, singulos ad perstandum in officio erigere. Quotidie omnibus in auditorium convocatis, intenso animi ardore preces ipse celebrabat. Unius diei cujusque hebdomadæ delectum fecit, quo discipulis suis omnibus coeuntibus, textum aliquem scripturæ interpretatus est, unde hortationes, comminationes salutares eruit, non sermonis fuco obductas, verum sententiarum pondere ac gravitate efficaces ad juvenum animos emolliendos, ac ad sanctimoniam efformandos : non quod defuerit ei comptus ac cultus sermo, in rebus tamen sacris affectatum dicendi genus aspernabatur : illi enim cura intensior de rerum nervis ac medulla, quam orationis procera cute. Hujus prælectionis vallo, arctiùs quam asperiori ulla disciplina adolescentes circumsepsit. Absoluta jam lectione, scrutari deinde

cœpit ex censoribus, quos ad delictorum censuram destinarat, quænam ea hebdomada delicta excidissent, citatos delinquentes tanta dexteritate increpuit, iram divinam sic intonuit, dedecorisque metu attonitos reddidit, ut ad pœnitentiam, vitamque in melius emendandam, mille verbera non tantum valuissent. Quibus enim nec aliorum verba aut verbera dolorem incutere, lachrymas excutere quiverant, cælestem iram intonando, blandis promissis mulcendo, sic eos concussit, prostravit, ut suspiria, singultus, fletus uberrimos expromeret. In eo autem insigne fuit, sive promissiones Evangelicas prædicaret, sive severè minitaretur, ita se etiam nequissimi animo, adversus quem vehementissimè excanduisset, insinuavit, ut profusum ejus in se amorem derivaret, neque tam metu, quam amore ad ultroneum obsequium traduceret. Quotannis autem Adolescentum ob progressus in Philosophia laureatorum examen unum enitebatur, ex quo ditiorem segetem Ecclesia, Respublicaque messuerat, quam ulla hominum memoria hæc Regio tulit.

Ipse autem ROLLOCUS a studiis Philosophicis ad Theologica se seposuit. Adolescentes ubertim Philosophia imbutos, ad munus Pastorale aspirantes, perdia ac pernocti diligentia, indefesso labore Theologia excoluit. Cum ad eam sedulitatem, eas ærumnas, quas in adolescentibus his sacra hac scientia imbuendis, tanta cum animi æquitate toleraverat, lumina reflecto, nequeo mihi ab admiratione

temperare, et nisi ipse earundem testis exstitissem, nemini eadem narranti fidem astruerem. Diem enim totum, demptis alimenti intervallis, collocare consueverat, aut in sublimi capitum Religionis contemplatione, aut in abditorum scripturæ locorum scrutinio, aut denique in controversiis cum Pontificiis dirimendis. Ista autem quamvis sublimia et excelsa, mira facilitate etiam ad quorumvis captum expediebat. Hanc autem sedulam ejus operam condierat hortationibus crebris quibus adolescentes ad sanctimoniam, fidemque, in munere Pastorali incitabat. Flagitavit imprimis ne crudos se ac immaturos ad munus illud protruderent, zelum eorum amplexibus hortatu crebro insinuaverat, verum prudentia conditum, dextereque monuit, ne juvenilem ardorem, choleramve, aut innatam, aut aliunde conflatam, aut denique ad imitationem compositam, quantumvis pietatis supparo tectam, in Ecclesiam inveherent: fovendum quidem in Ecclesia zelum genuinum, esse eum ignem cælitus descendentem quem ali in Templo Dei operæ pretium esset, explodendum tamen zelum adulterinum, quod ignis sit peregrinus. Obnixe autem serioque suasit ne res suas privatas prætextu Religionis gererent, neque famam sinceritatis alios sugillando, taxando, propagarent: hortatus denique nihil opinionis, omnia conscientiæ gratia, agerent. Hanc ejus indefessam sedulitatem tantis fructibus beavit Deus, ut innumeros cum ad Reipublicæ emolumentum, tum ad munus pastorale

decennii spatio propulerit, in quibus sanctimoniæ ac eruditionis suæ lineamenta cernere erat.

Ad hos labores tanta industria exantlatos, accedebat et hic. Singulis diebus Dominicis palam in templo concionabatur, idque tanta spiritus demonstratione, tanto sententiarum pondere, verborumque gravitate, ut apud omnes excelcissimè floruerit: tantum ad auditorum mentes illuminandas, affectusque permovendos valuerat. Neque apud vulgus modò, sed et apud celebre et eruditum hominum genus concionando sic efficax fuit, ut quamplures in margine Orci lethalis titubantes, ad vitam illam Dei, lucemque cœlestem eruerit ac evocarit, divino numine eius ministerium secundante. Complures commentarios in Scripturas sacras, tractatus etiam nonnullos de Religionis capitibus miro artificio contexuit, quorum aliqui typis excusi, non modò in Scotia, sed et apud exteras regiones incredibili nominis sui ornamento, Ecclesiæque insigni compendio per multorum manus volitant. Pervenerat fortè in manus THEOD. BEZÆ, eximii illius viri, ejus commentarius in Epistolas ad Romanos ac Ephesios, qui tanto gaudio Bezam perfudit, ut in epistola qua familiarem quemdam salutat in celebres ejus laudes eruperit: visum est aliqua ejus verba attexere. "Hoc ipso tempore mihi contigit thesaurum nancisci, qui nescio quo sinstro fato, quamvis hic in omnium aliorum conspectu versaretur, me tamen adhuc subterfugerat: the-

saurum enim cur non appellem, et quidem pretiosissimum, illos honorandi summè fratris, D. ROLLOCI, cum in Epistolam ad Romanos, tum in Epistolam ad Ephesios, utramque inter Apostolicas omnes celebratissimam, commentarios ? Sic enim ego quidem de iis apud me statuo, (quod absque ulla specie adulationis dictum velim,) nihil adhuc legisse me in hoc interpretationis genere, brevius simul, cum elegantius, tum judiciosius, scriptum, ut ipse me iis inspectis continere nequiverem, nec etiam opinor debuerim, quin et Deo, de hoc utilissimo procul dubio quam plurimis futuro labore gratias magnas agerem, et tantum hoc vobis bonum vel toti potius Ecclesiæ gratularer, Deum precatus ut hunc hominem novis subindè donis auctum feliciter conservet, hoc præsertim tempore, in quo propter tantam operariorum in excolenda Dei nostri vinea raritatem, et paucissimis ex veteranis illis exercitatissimis superstites triumphare jam sibi de oppressa veritate Satan cum suis videbatur." Hæc BEZA.

Sensim autem omnium cujusque ordinis quibus innotuerat, animos sui amore repleverat: gratum charumque juxta omnibus reddidit candor quidam in rebus gerendis genuinus, insignisque humilitas, quæ tanquam ex alto eximia in eo dona illuminavit : quamvis enim ille præclaris dotibus Pastores reliquos superemineret, sese tamen suo censu infra omnes demisit. Animo quidem fixum condebat latere, ut que liberius studiis dicaretur semet abdere ne curis publicis implica-

retur: præter votum tamen ad publica negotia pleraque invitus evocabatur, quæ quidem ille egregia sanctissimaque prudentia expedierat. Præcipiti plebis zelo turbata, maturo ejus consilio in ordinem redierunt: rara zeli socia prudentia, nec assiduus prudentiæ comes zelus, utriusque tamen insignem temperiem ROLLOCO indiderat qui munera tacito dispertit arbitrio, quam sensit cum Ecclesia tum Respublica Scoticana cum insigni suo emolumento sibi salutarem.

Novissimo vitæ biennio sic curis publicis involvebatur, ut ejus valetudo hostilis satis indies labasceret: assiduis enim calculi cruciatibus angebatur, stomachi infirmitate languescebat, verum quantum judicio humano consequi valemus, nisi hoc ipso tempore Ecclesiæ nutanti ac periclitanti opera sua subvenisset, in miseriarum Oceanum pessundata fuisset. Inconsulto armatæ plebis concursu, Regis ac Senatorum ira vehementissime exarsit, quo factum ut Ecclesia et Respublica in præruptum et anceps periculum devolveretur: squalida enim ac lugubris rerum conditio quæ tum temporis evenerat, trucem lachrymabilemque faciem spectantibus præbuit: cum in turbis his componendis complures operam et oleum perdidissent, eluxit tandem, tanquam sidus salutare, sanctissima ROLLOCI prudentia. Pietate ac sapientia, humilitate conditis, tantum Regii pectoris posséderat, ut ejus animum in Edinburgenos asperiorem lenierit, Ecclesiam ex incendio, Rempublicam ex conflagratione eruerit: Quamvis ROL-

loco insignis assurgat honos quod hac tempestate lugubria Ecclesiæ detraxerit, turbata ad pristinum statum revocarit, cogor insignia nominis ejus ornamenta silere ac transilire. Si enim illius temporis historiam pertexerem, rotæ instar rapidive gurgitis agerer, ut in præsenti negotio consistere nequirem, longeque digrediendum ac expatiandum mihi foret.

Res, Rolloci continuis vigiliis, ac indefessis laboribus compositas, ac in pristinum statum remeantes, insequitur Synodus Taodunensis, quam visum Regi sua præsentia ornare. Synodo Præses omnium suffragiis Rollocus designatur. Synodo Perthi non multo ante habita, quæ severius ad speciem decreta videbantur, hac Taodunensi benigniorem commentarium sortita sunt. Flagitat Rex, vellet Synodus nonnullos designare, qui excubias pro Ecclesia ducerent, ne quid ea detrimenti caperet. Confestim pedibus itur in eam sententiam pietate ac prudentia eminentiores deligendos, iis provinciam hanc demandandam. Ex his Rollocus unus. Horum munus temporis ac administrationis vallo circumseptum fuit, defunctique muneris rationem proximæ Synodo redderent decretum. Hi Ecclesiam, tumultu quem memorabam, miserè quassatam maturis consiliis ac perpeti industria reficere, sensimque restaurare adnituntur.

Anno 1598. præcipiti hyeme gravius solito morbi pondere gra-

vatus domi se concluserat. Gulielmus Scotus ex intimis unus consulit in domum suam transiret, aërem sereniorem ac liberiorem hauriret, ut valetudinem recuperaret: consilio obsecundat, transitque. In limine pristinus vigor redire videbatur, verum confestim geminata morbi vis lecto eum affixerat. Ille cum spiritus linquentes, seseque in confinio mortis discit, cœlesti gaudio quo semper exuberabat, mellifluisque sermonibus omnes qui inviserant perfudit: verum lætitiam interpellabant obortæ omnibus lachrymæ, tantum virum nondum matura ætate præripiendum, adimendum Ecclesiæ parentem, Reipublicæ salutare columen, neminem superesse qui turbas in Ecclesia componat, offenso principi cives, Ecclesiam, insinuet. Ille prudentia solita domestica digerit uxoremque post decennii ultra sterilitatem uterum ferentem amicorum curæ seriò commendat. Ingressis ad eum Patricio Gallovidio, Davide Lyndesio amorem in Principem qui semper ejus animo medullitus insedisset, testatum fecit, in eoque occubiturum se professus, flagitat interim ipsius nomine Regem adeant, hortenturque vellet Religionis orbitam, quam inoffenso cursu hucusque pressisset, gradu non vacillante ad ultimum vitæ spiritum calcare, neque spe amplificandi regni, aut nefariorum tacitis technis ab ea divelli. De Ecclesiæ Pastoribus, qua par esset reverentia, sentiret, loqueretur. Illud (inquit) Christi ministerium quantumvis humile ac abjectum

humano calculo, illustri gloria tandem fulgebit. Ingressi deinde Pastores Edinburgeni quibus assidentibus sic infit. Ægritudinis mole lassus, vitæ hujus pausam ac exitum anhelans spiro, ac spero. Non sic Christum didici aut docui, quin in eo ærumnarum harum levamentum sentiam. Academiæ cura fratres altissime semper animo meo insederat, quanta ego eam fide ac industria administrarim, testis Deus, ego mihi probe conscius sum, quantum ex ea in Ecclesiam et Rempublicam emolumentum redundarit, vos testes. Rumpendum mox vitæ meæ filum, trajiciendumque mihi in patriam diu, multumque cupitam, ne quæso me dempto nimis amarê orbitatem suam defleat Academia : Vos, vos inquam, non novercæ verum genuini parentis vices obite, eam vestro sinu alite, fovete. Pastorale munus non jam pridem mihi incubuit, quod quamobrem in me susceperim non vos præterit. In eo egregium quid præstitisse me affirmare non audeo, voluisse tamen, audebo. Memoriæ vestræ non excidit, Synodo Taodunensi delectum me cum aliis quibusdam, qui pro Ecclesia excubarem, in excubando, cum Dei gloriam, et Ecclesiæ incolumitatem, tumultu quodam miserè quassatam, mihi ob oculos habuerim, nullius in ea admissi flagitii pœnitentia discruciari me profiteor. In pastorum Edinburgenorum numero geminando, duobus præsertim illis qui studiorum tyrocinium sub mea ferula exercuerunt ad munus illud invehendis, cum in iis dona muneri congrua, Deum-

que eorum laboribus propitium, perspexerim, tantum abest illius facti me pœniteat, ut in hanc usque horam summo potius perfundar gaudio. Susurravit quidam nuperrime in aurem meam, disseminatum rumorem, torqueri me animo ob inique gesta in ista provincia. Deum arcanorum omnium arbitrum ac testem, ad cujus tribunal ego mox sistendus, appello, cum in omni hoc negotio, pro divinitus indulta mihi pietate et prudentia, ad scopum legitimum collimari, nihil esse quod me cruciet aut angat. Non eo quidem inficias, cum Ecclesiam ac Rempublicam nexu adamantino, eoque fraterno colligarit prudens mundi opifex, in hoc remis ac velis incubuisse me, ut mutua emolumenta promoverent: ne Reipublicæ gladius in Ecclesiæ perniciem stringeretur, aut Ecclesia in principem, aut rempublicam acerbè inveheretur, bellumque non necessarium excitaretur. Neque tamen ita me pacis amor fascinavit, ut genuinam ab adulterina non secreverim, aut affectus in Principem eò me abripuit, ut in ejus gratiam vel labeculam ullam conscientiæ fuerim inducturus, verum meorum factorum candor etiam me extincto lucescet. Ceterum fratres unanimi concordia ad opus Domini coalescite. Quid magis incongruum quam pacis præcones, litigio ac discordiæ carnificina dilacerari, hac tempestate, qua in insidiis hostes sunt, non lite spargendæ vires, verùm pace refovendæ sunt, petendum ac hauriendum hostium latus, non mutua jugula. Principi vestro debitum obsequium præstate: rara

temporum felicitas vobis obtigit, Principem nacti estis, qui cum lacte Religionem hausit, quæ ejus visceribus recondita cum eo calcavit, Religionem disciplina circumvallavit, circumvallatam suo præsidio texit, Ecclesiæque patrocinium sic in se suscepit, ut quam diu eum vita non deserat, illud non deserturum se documentis innumeris palam fecerit. Quod itaque blandè mulcendo ei elicere valetis, ne torquendo extorquere frustrà adnitimini. Seriò cavendum ne ex hoc felicitatis fastigio pessum se det Ecclesia. Quiverat Paulus Onesimum fugitivum apud se retinere, renuit tamen ne Philemonis beneficium ex necessitate esse videretur. Ejus vestigiis insistendum vobis in tanti ponderis negotio sentio. Deus pater Jesu Christi, vos omni benedictione spirituali locupletet, fortique robore muniat, ad ministerium istud strenue obeundum.

Vesperascente eodem die, properare mors videbatur, quam ille odoratus, sermonem occipit, non humano cerebro excusum, verum cœlitus a Dei spiritu stillantem, qui cunctis astantibus stuporem injecerat. Aderant Medici qui medicamentis suis vim morbi lenire (quod vigor naturalis deficeret) renuerunt. Ad Deum itaque verso sermone : Tu, inquit, Deus medeberis mihi : dein preces zelo intensissimo fundit, orans primo vellet Deus sibi suisque peccatis propter unicum Christi sacrificium propitius esse, prædicans omnia quantumvis ad speciem speciosa, propter crucis Christi eminentiam, pro

stercoribus se ducere : precatus dein vellet vitæ suæ exitum faustum ac felicem indulgere, ut misericordiæ alis opertus, in Christi sinu occumberet, frueretur que Dei vultu quem crebro anhelitu intueri sitiit. Ego te, inquit, subobscurè in verbi speculo vidi, largire mihi diu multumque optati vultus tui sempiternam fruitionem. De resurrectione et vita æterna verba promit, ac si terra derelicta in cœlos translatus fuisset. Singulis qui astabant dextra prehensis, tanquam Patriarcha, summa verborum sanctimonia ac gravitate benedicit ; benedictionem hortationibus pro cujusque indole ac munere prudenter miscet. Ea nocte præter spem paulum requievit. Die qui eum insequutus est, urbani Magistratus, complures etiam ex ordine Senatorio eum invisunt, quos juxta lectum accumbentes sic affatur. Quantum præsagiis ullis assequi valeo, egrediendum mihi vitæ hujus limen, transeundumque in Patriam : neque hoc mihi acerbum, novissimum enim hujus vitæ diem crebra siti concupivi. Academia semper anxium me maxime habuit, eam ego jam deserturus, si celarem vos, quem meus calculus sufficiendum mihi, Academiæque præficiendum censuit, incuriæ maculam non exuerem. Quid attinet exteras regiones pervagari, peregrinum asciscere, qui huic provinciæ præsit, quem interim doctrina disciplinaque hujus Academiæ lateat ? Domi virum locupletatum donis, ac ad munus instructum habetis, HENRICUM CHARTERISIUM, qui eruditionem me Præcep-

tore uberrime hausit, professorisque Philosophici munus decennio egregia cum laude perfunctus est. Hunc vos in Academiæ puppi sistite, ejusque clavo apponite, Deum illi propitium, ejusque labores beantem conspicietis. Vos ex officio Academiæ Mæcenates ac alumni essetis, altior quæso ejus sollicitudo animos vestros subeat. De domesticis quid dicam, uxorem desero uterum ferentem, unum a vobis summopere contendo, sentiat illa amorem quo semper me amplexi estis, extincto me, non exaruisse. Nunquam mihi dies aut nox ægritudinis expers, illa me tot morborum ærumnis quassatum, suaviter semper fovit ac refocillavit: ingenuè profiteor ex omnibus stipendiis meis non coacervavisse me obolos duos, nunquam enim mihi cordi aut curæ mundana hæc. Quorsum multa verba perderem: ne quæso affectus vester in me claudicet in eam. Magistratus, Senatores, solenni promisso fidem dant facturos se omnia ex animi sententia. Professores dein Philosophiæ ad perstandum in officio debitumque successori suo obsequium hortatur. His peractis, verba insigni sanctimonia ebulliunt. Deo meo, inquit, gratiæ, memoria, visus, auditus reliquique sensus mei tam vegeti quam unquam, ast ab hoc mundo alienatum cor meum, et quorsum Domine Jesu corde meo non fruereris, cui soli in illud jus, in hoc per omnem vitam incubui, ut illud tibi dicarem ac consecrarem, illud quæso assume, ut tecum commoretur. Hæc loquu-

tus, invadit eum lenis quidam somnus, ex quo experrectus summo anhelitu flagrat dissolvi, ac esse cum Domino. Veni, inquit, Domine Jesu, miseræ hujus vitæ filum abrumpe, matura domine ne tarda. Jesus me redemit non ut caducam hanc verum æternam vitam indulgeret. Veni Jesu, largire vitam propter quam redemisti me. Astantes flebili planctu vicem suam in ejus obitu deflent. At ille: Omnes vitæ hujus gradus emensus sum, ad novissimum perveni, cur retrogrederer? hunc gradum Domine Jesu tuo comitatu feliciter emetiar. Deduc me in eam gloriam quam per speculum tantum vidi: utinam apud te diversarer. Qui astabant significant diem posterum Sabbathum esse, unde hujus sermonis occasionem captat. Tuum Sabbathum Domine, æternum meum Sabbathum inchoet, auspicia sumat æternum Sabbathum meum à Sabbatho tuo.

In mediam ferè noctem modicam nactus est quietem, quam confestim morbi vis interpellat, supremamque horam adesse ratus, Valterum Balcanquellum invitat ad se venire: quo ingresso, hunc suscipit sermonem: Quod diutissimè munus Pastorale Edinburgi obieris, quodque non recens nostra amicitia, accersendum te curavi, ut reverentiam qua semper a cunis Christi ministerium reveritus sum, testatam facerem; ego quidem pro modulo doni preces in sinum Dei fudi, tu quæso pro me precum sacra peragito, ego corde ac affectu sequar, interim ne protrahi vitam hanc flagita. Provo-

lutis omnibus qui aderant in genua, preces celebrat Balcanquellus. Inter reliqua flagitat, vellet Deus tanti viri diuturniorem usuram indulgere, cum Ecclesiæ ac Reipublicæ salus tantopere eam poscant. Sic orantem interpellat, satias, inquit, mihi hujus vitæ, unice in votis meis habeo vitam cœlestem cum Deo in Christo reconditam. Consummatis precibus in verbi prædicati illustria encomia resolvitur : Verbum, inquit, vita, mors, nec ulla ulli absque verbo salus : non est, credite mihi, flocci negotium verbum prædicare : perinde non est ac Platonis, Aristotelisve textum interpretari, aut orationem pigmentis ac lenocinio sermonis oblitam contexere : in sanctimonia, humilitate, efficaci spiritus demonstratione situm est verbi præconium : quanti illud semper fecerim testis Deus. Dein ad preces revertitur, Veni, inquit, Domine Jesu, horum oculorum nervos rumpe, alios mihi largire : cupio dissolvi, ac tecum esse, matura venire Domine Jesu, ne ultra differ : egredere pusilla vita, ut ingrediatur melior illa vita Dei : insere Domine Jesu huic corpori manum tuam arripe tibi animam istam.

Ad Sabbathi auroram usque altum illi silentium, quod tandem hoc sermone abrupit, Veni Domine, ne morare : diei noctisque fastidio lassus sum, veni Domine Jesu ut ad te veniam. O dulce, faustum ac felix vitæ hujus divortium, veni Domine dulcedo mea, emancipato animam hanc ut te marito suo fruatur, cor istud meum bipartire, ut

ad te caput suum transvolet. Regerit unus, huc usque cor tuum integrum possedit, integrum etiam assumet. Ille vero, partiri, inquit, cor istud postulo, ut vita hæc naturalis eruatur, et Christi vita infundatur. Tum ex astantibus unus, ne te anxietas acerbet, accelerat, Dominus tuus. Gratum, inquit, mihi istud nuncium : utinam die crastino exequias meas duceretis. Dein alter, Beata anima tam Domino vicina quam tua. Ille vero, in me nihil est, quod non ducam pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam, Christus unica solatii materia, omnis justitia mea pannus inquinatus. Interrogatus nunquid Pastoris ullius alloquium flagitaret, respondit, non creaturum se iis molestiam, quod ad concionandum se accingerent. Sinite, inquit, me psittaci instar cum Domino meo balbutire. Certior factus inchoatam concionem, Da mihi, inquit, Domine ea videre, quæ in præsentia audiunt alii.

Sabbathi meridie sic eum affatur quidam, per omnem vitam tuam indefessa opera, sedulisque laboribus Dei gloriam promovisti. Ille, mihi unica gloriandi seges misericordia in Christo Jesu, alia omnia damna duco. Dein sopor quidam molis eum invadit, qui in vesperam occupat: quo discusso, ingressus ad eum ordinis Senatorii Præses, cui Edinburgi eo anno Præfectura obvenerat, eum sic alloquitur. Academiam amplexibus Magistratuum, quibus tu Domine praees, seriò insinuavi, tu etiam eandem patrocinii tui gremio amplectere: experiatur

quæso te parentem ac Mæcenatem: Cum pro dignitate qua in Republica clares, ac illustri munere quo ornaris, Ecclesiæ opem ferre valeas, ne quæso eam subtrahe, in ejus præsidium artus ac vires tuas intende, nec interim salus tua quæ est in Christo memoriæ excidat, mundana hæc omnia fluxa sunt, moxque flaccescent. Deus te, tuam conjugem, universam familiam benedictionis suæ thesauro cumulet. Eadem illa nocte hæc verba excidisse ei observatum: Tranquilla mihi mens in corpore ægro, mortis, peccati, et Satanæ metu non angor, nullum illis in me imperium, sic tamen morbi pondere premor, ut longe præter spem in hanc horam supersim. Ille quasi in mortario pistillo ægritudinis me tundit, ut ad regnum suum formet.

Die hebdomadæ secundo, mirum, inquit, videri potest, cum tam acerbè morbo coquar, quod in tantum protracta vita mea, verum per patientiam, domini beneplacitum præstolabor, connivebo, connivebo, agat ille mecum pro libito, non disseram cum eo. Quid est homo qui cum Deo argumentari audeat: imo, si in orcum detruderet, parendum non responsandum. Gratiam fac mihi Domine propter Christum Iesum: non erubesco profiteri nunquam provectum me ad tam sublime notitiæ Dei fastigium quam hoc morbo attigi. O quam horrendum in manus Domini incidere, sed reposita mihi misericordia in Christo. Quid contristaris anima mea, quid te dejicis in me, obveniet tibi mox aspectus et congressus

amœnissimus? Ejusdem diei vespera, Experior, inquit, sexti Psalmi veritatem, ac aliqua ejus verba recenset. Gratiam fac mihi, Jehova, quia languore pressus sum: cura me, Jehova, quia conturbata sunt ossa mea, etc. Interjecta modica pausa, sermonem iterat, Christus portabit jugum meum, et ego ejus gratia fultus sequar. Cum morbi acerbitate torqueri eum animadverterent astantes, lachrymas, planctus ac singultus cieunt, quos ille increpat: Ne meam vicem, ait, peccata vestra deflete, cum nemo a peccato immunis nemini fletus materia subtracta. Quod ad me, ego omnium complementum ac consummationem mox videbo. Ab hoc tempore oblatum alimentum respuit: Non, inquit, edam aut bibam quoad in regnum cœlorum invehar. Funeris curam Gulielmo Litillo et Gulielmo Scoto amicis integerrimis (quorum amicitiam non vacillantem frequenti elogio ornavit) commendat. Cur non, inquit, mihi hujus corporis cura, illud siquidem glorificandum et conformandum tandem glorioso Christi corpori? et manus intuens, Istæ etiam manus illustri fulgebunt gloria. Ejus diei vespera ex cognatis unus ad eum ingressus, sermone impio bilem ei movit, ab eo hoc flagitat, vellet invectus in cœlos mediari pro se reliquisque amicis: hoc audito, ira fervens, repente corpus imbecillum ac fere exanime erigit, Ego, inquit, munus illud abnuo, Christus unicus Mediator. Non multo post invisit eum frater natu major. Tu, inquit, cognatum nostrum

increpa, mone alium capessat vitæ tramitem, alioqui nulla ei salus, certissima ruina. Deinceps illi sermo contractus, non diffusus, verba tamen fortia ac efficacia, gaudium cœleste spirantia ac redolentia ; sub vitæ finem placidus quidam somnus irrepit, qui cum aliquandiu eum occupavisset, placide ac suaviter Creatori ac Redemptori suo animam commendat. Et quamvis extinctus, notas tamen oris pallor non confundebat, verum temperato quodam rubore perfundebatur. Ejus decessus fama, quantas lachrymas, quot suspiria ac singultus per universam urbem ac regionem concitarit, relatu fere incredibile. Funus majori quam unquam Edinburgi celebritate, quamvis prohibente tempestate, decoratur : Turmatim enim tam sublimis quam plebeiæ sortis homines ad illud ornandum confluxerant.

VITÆ ET OBITUS

D. ROBERTI ROLLOCI, SCOTI,

NARRATIO,

AB HENRICO CHARTERISIO,

CONSCRIPTA.

NARRATIO VITÆ ET OBITUS

SANCTISSIMI DOCTISSIMIQUE VIRI

D. ROBERTI ROLLOCI, SCOTI,

MINISTRI EVANGELII ET RECTORIS

ACADEMIÆ EDINBURGENSIS.

JAM olim inolevit mos virorum illustrium et virtute aliis præcellentium vitam obitumque describendi, et ad posteritatis memoriam consecrandi. Laudabilis sanè consuetudo, et qua vix alia observatione dignior. Ejus enim maximus publicè usus ad homines ad virtutem, pietatem, bonosque mores excitandos. Mirum quantum exempla rudiores moveant! Nam quod præceptis, etiam ex ipso vivo sacrarum literarum fonte traditis, tota vita discere non possunt, proborum virorum exemplo et imitatione facile assequuntur: præsertim si noti sint, si eorum facta et mores oculis obversentur, si palam fiat eorum tota conversatio. Quo magis moveor ut piæ memoriæ ROBERTI ROLLOCI vitam moresque paucis describam (cujus non doctrinam tantùm, sed et sanctimoniam vitæque integritatem ipsi etiam qui supersunt et una cum eo vixerunt veritatis hostes inficiari non

possunt) ut et plerique qui adhuc vivunt meminerint quæ bona ex eo didicerint, et posteri exemplar habeant sibi propositum quod imitentur.

ROBERTUS ROLLOCUS, natus anno 1555, patre DAVIDE ROLLOCO, Puissæ (quæ villa non longè Sterlino abest) comarcho, matre MARIA LEVINGSTONIA ex illustri Levingstoniorum familia oriunda. Singulari patris cura et studio liberaliter educatus, etiam in ipsa pueritia cum prima elementa addisceret, non obscurum magni ingenii specimen dedit; quo motus pater eum Sterlinum ad humaniora studia capessenda amandavit. Hic præceptorem habuit THOMAM BUCHANANUM (magni illius Buchanani poetarum sui sæculi facilê principis ex fratre nepotem) spectatæ tum probitatis, tum eruditionis virum, et egregium juventutis erudiendæ magistrum, sub cujus ferula ita in humanioribus literis profecit ut Buchananus eum impensè dilexerit, et Rollocus vicissim præceptoris amorem ita compensavit, ut multis post annis, cum Academiæ Edinburgenæ præfectura fungeretur, nunquam eum Edinburgum pro re nata venientem passus sit extra domum suam hospitari, eique insignem illum commentarium in priorem ad Thessalonicenses Epistolam in testimonium gratitudinis dicarit. Ubi in studiis humanioribus satis maturuisset misit eum pater Andreapolin ad sublimiora illa philosophiæ

studia ineunda. Ubi Collegium quod Salvatorianum vocant ingressus, eos progressus (Regente Joanne Caro viro eruditissimo) in philosophiæ studiis fecit, ut ex condiscipulis pauci eum assecuti sint, nemo anteierit. Exacto hoc curriculo, etsi omnibus, propter egregias quæ in eo enitebant dotes, esset charissimus, vicaria tamen opera aliquandiu in docenda philosophia functus est, donec vacante loco in numerum professorum philosophiæ allectus est; in qua professione ita cum philosophiæ studiis pietatem animis adolescentum instillavit, ut magnam inde laudem adeptus sit, et cœperit ipsius nomen latiùs propagari.

Accidit intereà ut Senatus Edinburgensis de erigenda EDINBURGI ACADEMIA cogitare cœperit, idque præcipuè instigatione JACOBI LAUSONII pastoris fidelissimi (cujus eximia eruditio et pietas digna est quæ omnibus sæculis celebretur) et GULIELMI LITILLI viri integerrimi, et propter spectatam prudentiam ac fortitudinem civibus suis charissimi. Cogitatio hæc hinc orta, quod regni Metropolis esset, et animadverteret Senatus cives suos, non tantùm gravi molestia, sed magno etiam impendio, liberos Andreapolin, aut ad alias Academias erudiendos ablegare, et quod intelligeret complures tenuioris fortunæ sic angustia rei familiaris premi ut extra domum suam sumptus educandis liberis tolerare nequirent, eoque coactos plerumque sublimia ingenia mechanicis artibus addicere. Ubi

hoc semel Senatus propositum nihil omittit quod ad opus promovendum spectaret; ædificia tanto operi idonea comparat, quæ deerant à fundamentis extruit, prudenter etiam cavet ut omnia in promptu sint ante ineuntem Octobrem, quo tempore philosophiæ candidati se ad Academias conferre solent.

Omnibus abundè provisis, consultare demùm cœpit de Rectore qui Academiæ præesset. Innotuerat jam multorum relatione Jacobo Lausonio ROLLOCUS noster, qui et ad eum literas miserat humanitatis plenas, quibus eum ad hanc provinciam suscipiendam hortatus erat: his comiter et amicè respondit Rollocus, et, ut erat homo verè aliis instituendis natus, promptum se paratumque ostendit si honesta accederet vocatio. Adit itaque Senatum Lausonius (cujus summa apud eum erat authoritas) edocet nullum magis idoneum cui Academiæ præfectura committatur quam Rollocum, de cujus doctrina et vitæ sanctimonia abundè sibi constaret. Decernitur continuò accersendum Rollocum, et electi in eam rem duo cives primarii, qui Andreapolin contendunt. Ii Rollocum adeunt, rem omnem ei aperiunt, hortantur seriò ne in tam sancto negotio Senatui desit, et facilè quod volunt persuadent. Veniens Edinburgum Rollocus Senatum alloquitur, facillimè inter eos convenit: præfecturam Academiæ suscipit, quam ita gessit quamdiu vixit ut nihil unquam majori, aut Ecclesiæ emolumento, aut Reipublicæ ornamento cesserit. Calendis Octobris anni

1583, in publico Academiæ auditorio luculentam habuit orationem, confluente copiosa cujusque ordinis multitudine, qua egregiam sui in animis hominum admirationem concitavit. Postridiè, qui dies indictus erat adolescentibus qui philosophicum cursum statuerant inire ad conveniendum, magna sese offerentium multitudo affuit. Nam ad famam apertæ Edinburgi Academiæ multi, non ex ipsa tantum urbe, sed ex vicina etiam regione confluxerunt adolescentes; quos omnes Rollocus in Latini sermonis puritate addiscenda usque ad diem examini constitutum diligentissimè exercuit. Habito examine plerique qui comperti sunt ad capessendum cursum philosophicum minus idonei curæ Duncani Narnii, viri morum elegantia et doctrina singulari, (ut eos exactiùs in literis humanioribus in sequentem annum institueret) commissi sunt. In ipso autem limine cum institutione disciplinam conjunxit, et plerosque laxiori trivialium Scholarum disciplina effrænes adhibita severitate compescuit; severitatem tamen insita quadam sibi clementia prudenter temperavit; et utramque religionis elementis sic miscuit ut guttatim tenellis adolescentium animis pietatem instillaret. Inque eam rem singulis diebus Saturni (cum discipulos à mane ad meridiem usque disputationibus exercuisset) à meridie prælegit Quæstiones Bezæ in quas etiam brevem analysin ad discipulorum memoriam juvandam edidit; in iis etiam diebus Dominicis ab hora septima matutina ad sesqui-

octavam qua adeunda erat concio, eos continuò exercuit, et à meridie ex quo à pomeridiana concione reditum est (post repetitas quas in templo audierant conciones) rationem exigebat. Deinde Catechesin Palatinatus eorum mentibus diligenter inculcavit, et textus Scripturæ selectos perspicuè interpretatus est, adhibita etiam accurata analysi; qua facillimè mentem Spiritus Sancti assequi possent: nihilque omisit eorum quæ ad Dei cognitionem et timorem adolescentium animis imprimendum facere possint quibus ipsius laboribus felici successu abundè benedixit Deus. Neque tamen hæc tanta in studiis pietatis sedulitas quicquam remorata est ordinaria humanitatis aut philosophiæ studia. Nam toto quadriennii curriculo, postquam in Græcæ linguæ cognitione probè eos instituisset, summa cura et solicitudine Aristotelis contextum singulis hebdomadæ diebus discipulis prælegit, exorsus ab Organo Logico, Ethica Nichomacheia et Physica percurrit, quibus adjecit etiam Arithmeticæ principia, doctrinam de Anatomia corporis humani, de Sphæra (accuratè exposito textu Joannis De Sacro Bosco), de Geographia, ut mirum videri possit, aut potuisse eum tam multa docere, aut discipulos discere, qui tamen (Deo ipsius laboribus benedicente) ita in singulis hisce profecerunt, ut non minus parati essent de unoquoque rationem reddere quam si ei soli neglectis reliquis incubuissent: Sed in tanta alacritate ac animorum promptitudine quanta tum in adolescentibus fuit quid

non posset labor improbus? Exacto curriculi philosophici quadriennio, post accuratam singulorum examinationem, laurea, quam magistralem vocant, eos donavit, sed prius summa gravitate admonitos officii sui. Monuit eos quanta diligentia et solicitudine eorum bono invigilâsset, quàm serio semper eorum animos præparâsset ad alteram illam vitam ac immortalem, ad quam hortatus erat ut vitæ hujus præsentis ac periturae omnes cogitationes, omnia studia etiam humaniora, omnes actiones dirigerent: quàm seriò dederit operam ut ejus vitæ sensu aliquo magis magisque indies afficerentur, ut eo quasi gustu futuræ lætitiæ ac gloriæ allecti desiderarent illam plenitudinem gaudiorum, et suspirantes expectarent adoptionem et redemptionem corporis sui. Commendabat quidem iis artes, scientias, exercitationes quascunque quæ sunt etiam hujus vitæ, postulabatque ut quamprimùm ingrederentur certum aliquod vitæ genus honestum ac laudabile, in quo vel Ecclesiæ, vel reipublicæ usibus inservirent; sed ita semper ut meminerint admonitionis Paulinæ, ut quia tempus contractum est imposterùm uterentur hoc mundo ut non abutentes, qua permisit quidem Paulus procurationem istorum omnium quæ ad præsentem vitam pertinent, sed ita tamen ut intereà dum his exercerentur πολίτευμα suum haberent in cœlis, hoc est, dum corpora versantur circa ea, animi intereà in cœlis sint, intuentes Deum, ejus voluntatem et gloriam, et expectantes inde venturum

Dominum et Servatorem Jesum Christum qui transformet corpus nostrum humile ut conforme fiat corpori suo glorioso. Protestatus est detestabile se semper censuisse profanum illud hominum genus et atheos illos qui se potiùs quàm Deum spectarent, quibus omnia hujus vitæ bona tandem in exitium sint cessura. Postremò sermonem suum conclusit cum seria exhortatione ad pietatem, sanctimoniam vitæ, perseverantiam in ea veritate et religionis puritate quam accepissent, et in qua educati essent.

Post emissam primam hanc classem contracto cum Helena Baronia lectissima fœmina connubio, valedixit philosophiæ, et totum se sacrarum literarum studio (ad quod ab ineunte ætate semper animam appulerat) tradidit: et suffecto Philippo Hislopo, adolescente probo et erudito, qui succedentem classem susciperet, Academiæ præfectura contentus fuit, in qua nihil omisit eorum quæ ad ipsius commodum spectarent. Quis hîc non impensam ipsius industriam admiretur? Consuevit enim frequenter singulas classes adire, cujusque sedulitatem et progressum in studiis explorare; si quæ contentiones, si quæ turbæ incidissent egregia celeritate ac prudentia componere, universos ad perstandum in officio erigere, quotidie omnibus in auditorium convocatis preces ipse celebrare. Unaquaque hebdomada unius diei delectum fecit, quo discipulis suis omnibus in unum coëuntibus textum aliquem Scripturæ interpretatus est, unde admonitiones, hortationes, commi-

nationes, salutares eruit, non sermonis fuco obductas, verum sententiarum pondere ac gravitate efficaces ad adolescentium animos emolliendos, instituendos et ad sanctimoniam efformandos. Hujus prælectionis tanta fuit efficacia ut ea adolescentium animi arctiùs quam asperiori aliqua disciplina in officio continerentur. Absoluta prælectione scrutari deinde cœpit ex censoribus, quos ad delicta singulorum in suis classibus observanda nominârat, quos ea hebdomada notâssent delinquentes : delatos summa dexteritate increpuit, iram Dei ante oculos proposuit, dedecoris metu attonitos reddidit quibus plus ad penitentiam et vitæ emendationem apud eos profecit quàm si mille plagas inflixisset. Quibus enim aliorum nec verba, nec verbera dolorem afferre, lacrymas excutere quivissent, cœlestem iram intonando, blandis promissis mulcendo, sic eos terruit, concussit, prostravit, ut suspiria, singultus, interdum etiam fletus uberrimos expromeret. Illud autem in eo fuit insigne quod sive promissiones evangelicas proponeret, sive severè judicia minitaretur, ita se interdum etiam nequissimi animo (adversus quem vehementissimè excanduisset) insinuavit ut profusum ejus in se amorem derivaret ; neque tam metu quàm amore ad ultroneum obsequium traduceret. Consuevit etiam singulis hebdomadis, vel ut occasio ferebat, Regentes convocare, ut inter se conferendo consultarent et dispicerent si quid reformatione opus haberet, aut in melius mutari posset : quo factum

ut Academiæ disciplina purior, exactior et magis integra permaneret.

Postquam, emissa classe, et sepositis studiis philosophicis, se ad Theologiam contulisset, dici vix potest quanta sedulitate, quanta vigilantia, quantis laboribus conatus sit eos ipsos adolescentes, quotquot ad rerum divinarum studia animos applicassent, in Theologia instituere, interdum quidem analysin logicam in Epistolas Paulinas aut alios Sacræ Scripturæ libros dictitans, interdum locos communes tractans, interdum controversa cum pontificiis Religionis capita examinans: in quibus studiis ita assiduè versatus est ut nullam diei horam vacuam præterire permitteret. Hanc tam assiduam operam condiebat crebris hortationibus, quibus adolescentes ad sanctimoniam et fidelitatem in munere pastorali (ad quod eos præparabat) incitabat. Postulabat imprimis ne crudos se ac immaturos ad munus illud protruderent. Zelum quidem seriò iis commendabat sed prudentia conditum: in nulla re magis quàm in zelo errari, quem alii præcipiti suo affectu, alii ut tum ferebant tempore, inconsulto vesanæ plebis judicio, metirentur: fovendum quidem in Ecclesia zelum genuinum: esse eum ignem cœlitus descendentem, quem ali in domo Dei operæ pretium sit: explodendum tamen zelum adulterinum, quod ignis sit peregrinus. Obnixe autem serioque suadebat ne res suas privatas prætextu religionis quærerent, neque famam sincerita-

tis alios sugillando, criminando, taxando aucuparentur: hortatus etiam ut nihil opinionis, omnia conscientiæ grata agerent. Huic tam indefesso studio et immensis laboribus ita benedixit Deus ut plurimos paucis annis ad munus pastorale propulerit, in quibus sanctimoniæ et eruditionis suæ viva effigies eluceret.

Ad hos labores tanta industria exantlatos accedebat et alius, quod cum videret in templo, quod Novum vocatur, ingentem summo mane convenire multitudinem populi; nollet eum, ut solebat, otiosum sedere, sed (tanta hominem alios in via Domini instituendi incessit cupido) singulis diebus Dominicis hora septima matutina (quod antehac Edinburgi nunquam factitatum) palam concionari cœpit, tanta Spiritus et potentiæ demonstratione, tanto sententiarum pondere, tanta verborum gravitate ut plerorumque mentes cœlesti luce perfunderet, affectus permoveret, omnes in sui admirationem raperet. Neque enim vulgus tantum movit, sed et eruditum hominum genus sic affecit ut novam lucem in mentibus suis accendi, novos affectus in cordibus formari non obscure sentirent ac profiterentur.

Postquam sic concionando absoluisset Apostoli Pauli Epistolam ad Ephesios, scripsit in eam commentarium qui typis excusus est anno 1590. Eodem ferè tempore in Academia discipulis suis publicè diebus Lunæ prælegit Epistolam ejusdem Apostoli ad Romanos, inque eam edidit analysin logicam, interjecto etiam (occasione aureæ

illius catenæ beneficiorum Dei quæ, cap. 8, vers. 30, habetur) tractatu insigni de nonnullis Christianæ doctrinæ capitibus: Duo hæc scripta cum forte in manus celeberrimi illius Theologi D. Theodori Bezæ incidissent tanto gaudio ejus animum perfuderunt, ut, in Epistola ad Joannem Johnstonum Theologiæ in Academia Andreana professorem, non potuerit se continere quin in ejus laudes erumperet. Visum est aliqua ipsius verba attexere. " Hoc ipso tempore, (inquit,) mihi contigit Thesaurum nancisci, qui nescio quo sinistro fato, quamvis hic in omnium aliorum conspectu versaretur, me tamen adhuc subterfugerat: Thesaurum enim cur non appellem, et quidem pretiosissimum, illos honorandi summè fratris, D. Rolloci, cum in Epistolam ad Romanos, tum in Epistolam ad Ephesios, utramque inter Apostolicos omnes celebratissimam, commentarios? Sic enim ego quidem de iis apud me statuo (quod absque ulla specie adulationis dictum velim) nihil adhuc legisse me in hoc interpretationis genere breviùs simul, cum elegantiùs, tum judiciosius scriptum, ut ipse me iis inspectis continere nequiverem, nec etiam, opinor, debuerim, quin et Deo de hoc utilissimo proculdubio quamplurimis futuro labore gratias magnas agerem, et tantum hoc vobis bonum, vel toti potius Ecclesiæ, gratularer, Deum precatus ut hunc hominem novis subinde donis auctum feliciter conservet, hoc præsertim tempore in quo propter tantam operariorum in excolenda Dei nostri vinea raritatem, et pau-

cissimos ex veteranis illis exercitatissimis superstites triumphare jam sibi de oppressa veritate Satan cum suis videbatur." Hæc Beza.

Edidit posteà commentarios complures, ut in Psalmos aliquot selectos, in Danielem prophetam, in Joannem Evangelistam, in nonnullas Epistolas Paulinas; tractatum præterea egregium de Efficaci Vocatione, et libellum utilissimum de Fœdere Dei et de Sacramentis; qui omnes, non modò in Scotia, sed et apud exteras regiones, non minori Ecclesiæ emolumento, quàm nominis sui ornamento, multorum manibus teruntur.

Rolloco his tot tantisque negotiis (quæ hominem totum vel vigilantissimum distinere, et occupatissimum reddere possent) incumbente, imposita est præterea necessitas capessendi ministerii urbani, hac occasione: Erat jam civitas tota, communi tam Ecclesiastici quàm urbani senatus consensu, suadente etiam Rolloco, in octo quasi parochias divisa: singulis parochiis præficiendus erat suus pastor, qui ipsius curam haberet. Erant tum in urbe pastores, viri quidem magni nominis, et in officio suo vigilantissimi ac fidelissimi, sed non eo numero qui tot parochiis sufficeret. Itaque in Rollocum omnium oculi conjecti, eum sibi pastorem expetunt; cum eo seriò agunt vellet ipse ad tam sanctum ac propè necessarium opus divisionis parochiarum promovendum ministerium suscipere, ac parochiæ unius curam gerere. Omnibus enim

F

summis juxta ac infimis erat gratissimus charissimusque. Gratum charumque reddidit candor quidam in rebus gerendis genuinus, insignisque humilitas, quæ reliqua dona quæ in eo erant eximia mirificè exornavit. Quamvis enim ille præclaris dotibus aliis ferè omnibus præluceret, sese tamen suo censu infra omnes demisit. Fixo quidem animi proposito constituerat apud sese latere, utque studiis liberius vacaret intra Academiæ pomœria sese abdere, ne curis publicis implicaretur ; præter votum tamen ad publica negotia pleraque extractus est, quæ quidem ille singulari et sanctissima pariter prudentia expediebat. Præcipiti plebis zelo turbata maturo ejus consilio in ordinem reducta sunt. Rara zeli socia prudentia, nec assiduus prudentiæ comes zelus ; utriusque tamen insignem temperiem Rolloco indiderat is, qui munera tacito dispertit arbitrio, quam, cùm Ecclesia, tum Respublica Scoticana cum magno suo bono et commodo sensit sibi salutarem. Novissimo vitæ biennio sic curis publicis prægravabatur ut valetudo alioqui satis infirma labesceret : assiduis enim calculi cruciatibus angebatur, et stomachi infirmitate languescebat, et tamen visum est Deo, hoc ipso summè perplexo tempore, ipsius opera Ecclesiæ pessum eunti subvenire. Nam quantum humano judicio consequi valemus, nisi periclitanti Ecclesiæ celerem opem tulisset, in miseriarum oceanum incidisset. Inconsulto enim armatæ plebis concursu, Regis ac primatum (qui jam Edinburgo

Limnuchum secesserant) ira vehementissimè exarserat, quo factum ut Ecclesia et Respublica in magnum et anceps periculum devolverentur. Squalida tum ac lugubris rerum conditio trucem lacrymabilemque faciem spectantibus præbuerat. Cum in turbis hisce componendis complures operam ac oleum perdidissent eluxit tandem tanquam sidus salutare sanctissima Rolloci prudentia, pietate, modestia, humilitate condita; quæ tantum regii pectoris possedit ut ejus animum in Edinburgenses asperiorem ac multorum judicio implacabilem, lenierit, Ecclesiam ex incendio, Rempublicam ex conflagratione eruerit. Sed quamvis Rolloco exinde creverit existimatio, quod turbulenta hac tempestate Ecclesiæ lugubria detraxerit, et turbata ad pristinum statum reduxerit, res tamen sigillatim ab eo gestas prætereo, ne cogar longiorem illius temporis historiam pertexere, et ab instituto supra quam par esset digredi. Res Rolloci assiduis vigiliis ac indefessis laboribus compositas insecuta est Synodus Taodunensis, quam visum Regi sua præsentia ornare. Synodo præses omnium suffragio Rollocus deligitur. Ibi quæ Synodo Perthi non multo ante habita severiùs in speciem decreta videbantur benigniorem interpretationem sortita sunt. Flagitat Rex vellet Synodus nonnullos designare qui excubiaspro Ecclesia agerent, ne quid ea detrimenti caperet. Confestim pedibus itur in hanc sententiam pietate ac prudentia eminentiores quosdam deligendos quibus provincia hæc de-

mandaretur : Ex his Rollocus unus : horum munus temporis spatio et administrationis modo ac ratione circumscriptum est, decretumque ut defuncti muneris rationem proximæ insequenti Synodo redderent. Hi Ecclesiam tumultu, de quo dictum est, miserè quassatam maturis consiliis et perpete industria, reficere, sensimque restaurare adnituntur.

Anno 1598, præcipite hieme vehementius solito morbo ingravescente domi se concluserat. Gulielmus Scotus, summa necessitudine ei conjunctissimus, consulit in domum suam transiret, aerem sereniorem ac liberiorem carperet, ut hac ratione, si fieri posset, valetudinem recuperaret : ille consilio obsequitur, transitque. Initio quidem post migrationem cœpit meliuscule valere, verum confestim geminata morbi vis lecto eum affixit. Ille cum spiritus linquentes, seseque in confinio mortis sensit, cœlesti gaudio perfusus, mellitis et plané divinis sermonibus omnium qui inviserant animos ingenti lætitia affecit ; verum lætitiam interpellabant obortæ omnibus lacrymæ cum pensitarent tantum virum nondum matura ætate præripiendum, adimendum Ecclesiæ parentem, Reipublicæ salutare columen, neminem superesse qui turbas in Ecclesia componat, offenso principi cives reconciliet, Ecclesiam in gratiam cum eo reducat. Ille solita prudentia res domesticas digerit : deinde uxorem post sterilitatem undecim annorum uterum ferentem curæ amicorum, imprimis

Gulielmi Scoti (cujus fidem et benevolentiam erga se eximiam multis jam experimentis didicerat) seriò commendat. Ingressis ad eum Patricio Gallovidio et Davide Lyndesio amorem in principem qui semper ejus animo medullitùs insedisset testatus, in eoque se vita excessurum professus, flagitat ipsius nomine regem adeant, hortenturque, ut religionis tramitem quem inoffenso cursu hucusque pressisset, gradu non vacillante ad ultimum vitæ spiritum calcaret, neque spe ulla amplificandi regni, aut veteratorum subdolis technis se ab eo divelli pateretur, de Ecclesiæ pastoribus qua par esset reverentia sentiret et loqueretur. "Illud enim Christi ministerium, quantumvis humano calculo abjectum et humile, apud Deum tamen esse gloriosum: Pastores licet testacea sint vascula, omnium sordes et purgamenta mundi, illustri tandem gloria fulsuros." Ingressi deinceps pastores Edinburgeni, quibus assidentibus sic infit. "Ægritudinis mole lassus vitæ hujus exitum anhelans spiro ac spero. Non sic Christum didici aut docui quin in eo harum ærumnarum levamentum sentiam. Academiæ cura, fratres, altissimè semper animo meo insedit: quanta ego eam fide ac industria administrârim testis est Deus, ego mihi probè conscius sum: quantum ex ea in Ecclesiam et Rempublicam emolumentum redundârit, vos testes. Rumpendum mox vitæ meæ filum, trajiciendumque mihi in patriam diu multumque cupitam: ne quæso me vivis exempto nimis amarè orbi-

tatem suam defleat Academia. Vos, vos, inquam, non novercæ, sed genuini parentis vices obite, eam vestro sinu alite, fovete. Pastorale munus non ita pridem mihi incubuit, quod quamobrem in me susceperim non vos præterit: In eo egregium quid præstitisse me affirmare non audeo, voluisse tamen audebo. Memoriæ vestræ non excidet Synodo Taodunensi delectum me cum aliis quibusdam qui pro Ecclesia excubarem, in quo cum Dei gloriam et Ecclesiæ incolumitatem repentino tumultu miserè quassatam mihi ob oculos habuerim, nullius admissæ culpæ pœnitentia discruciari me profiteor. Susurravit quidam nuperrimè in aurem meam disseminatam rumorem inquietare animum meum ob iniquè et perperam gesta in ista provincia. Deum arcanorum omnium arbitrum ac testem, ad cujus tribunal ego mox sistendus, appello, cùm in omni hoc negotio ad scopum legitimum collimarim, nihil esse quod me cruciet aut angat. Non eo quidem inficias, cùm Ecclesiam ac Rempublicam nexu amabili ac fraterno colligârit prudens mundi opifex, in hoc remis ac velis incubuisse me ut se mutuis juvarent officiis, ne Reipublicæ gladius in Ecclesiæ perniciem stringeretur, aut Ecclesia in principem aut Rempublicam acerbiùs inveheretur, bellumque non necessarium excitaretur. Neque tamen aut ita me pacis amor fascinavit ut genuinam ab adulterina non secreverim, aut affectus in principem ita abripuit ut in ejus gratiam labeculam ullam conscientiæ fuerim inducturus;

verum meorum factorum candor etiam me extincto clarescet. Cæterùm vos unanimi consensu ad opus Domini coalescite. Quid magis incongruum quam pacis præcones litigio ac discordia dilacerari? hac tempestate, qua in insidiis hostes sunt, non dissidiis dissipandæ vires, verum pace combinandæ sunt: petendum hostium latus, non mutua jugula. Principi vestro debitum obsequium præstate: Rara temporum felicitas vobis obtigit: principem nacti estis qui cum lacte religionem hausit, quæ ejus visceribus recondita cum eo coaluit, religionem disciplina circumvallavit, circumvallatam suo præsidio texit, Ecclesiæque patrocinium sic in se suscepit, ut quamdiu eum vita non deserit illud non deserturum se innumeris documentis palam fecerit. Quod itaque blandè mulcendo ei elicere potestis, ne invito extorquere frustra adnitimini. Seriò cavendum ne ex hoc felicitatis fastigio pessum se det Ecclesia. Poterat Paulus Onesimum fugitivum apud se retinere, noluit tamen absque Philemonis sententia, ne ipsius beneficium ex necessitate esse videretur. Pauli vestigiis sentio insistendum vobis in tanti ponderis negotio. Deus pater Jesu Christi vos omni benedictione spirituali locupletet, et invicto robore muniat ad ministerium illud strenuè obeundum." Vesperascente eodem die properare mors videbatur quam ille olfaciens sermonem occipit, non humano cerebro effictum, sed cælitùs a Dei Spiritu stillantem, qui cunctis astantibus admirationem incussit. Aderant Medici, qui medi-

camentis suis vim morbi lenire (quod vigor naturalis deficeret) renuerunt [tentabant]. Ad Deum itaque verso sermone, "Tu, inquit, Deus, medeberis mihi :" Dein preces zelo intentissimo fundit, orans primo vellet Deus sibi suisque peccatis propter unicum Christi sacrificium propitius esse, prædicans omnia, quantumvis apprimè speciosa, propter crucis Christi eminentiam pro stercoribus se ducere : precatus deinde vellet vitæ suæ exitum faustum ac felicem indulgere, ut misericordiæ alis opertus in Christi sinu excederet, frueretur que Dei vultu, quem crebro anhelitu intueri sitiit. "Ego te, inquit, subobscure in verbi speculo vidi ; largire mihi diu multumque optati vultus tui sempiternam fruitionem." De resurrectione et vita æterna verba profert immortalitatis sensum spirantia. Singulis qui astabant dextra prehensis summa verborum comitate ac gravitate benedicit, benedictionem hortationibus pro cujusque indole ac munere prudenter miscet. Ea nocte præter spem paulùm requievit. Die qui eum insecutus est urbani magistratus, complures etiam ex ordine senatorio eum invisunt, quos juxta lectum accumbentes sic affatur. "Quantum præsagiis ullis assequi valeo absolvendum mihi vitæ pensum, deponendum corruptibile hoc corporis indumentum, transeundum in patriam : Neque hoc mihi acerbum ; novissimum enim hujus vitæ diem crebra siti concupivi. Academia semper anxium me maximè habuit ; ego eam jam deserturus, si celarem quem meo calculo sufficiendum

mihi, Academiæque præficiendum censeam, incuriæ maculam non effugerem. Quid attinet exteras regiones pervagari, peregrinum asciscere qui huic provinciæ præsit, quem interim doctrina disciplinaque hujus Academiæ lateat? Domi virum locupletatum donis ac ad munus hoc instructum habetis, HENRICUM CHARTERISIUM, qui eruditionem me præceptore uberrimè hausit, et professoris philosophiæ munere plus decennio egregia cum laude perfunctus est. Hunc vos in Academiæ puppi sistite, ejusque clavo apponite. Deum illi propitium ejusque laboribus benedicentem conspicietis. Vos decet ex officio Academiæ Mæcenates ac patronos esse: Altior, quæso, ejus solicitudo animos vestros subeat. De domesticis quid dicam? uxorem desero uterum ferentem: unum a vobis summopere contendo; sentiat illa amorem quo semper me amplexi estis extincto me non exaruisse. Nunquam mihi dies aut nox ægritudinis expers: illa me tot morborum difficultatibus quassatum suaviter semper fovit ac refocillavit. Ingenuè profiteor ex omnibus stipendiis meis non coacervasse me obolos duos; nunquam enim mihi cordi aut curæ mundana hæc. Quid multa verba perderem: ne, quæso, affectus vester in me claudicet in eam." Magistratus senatoresque solenni promisso fidem dant facturos se omnia ex animi ipsius sententia. Professores deinde philosophiæ ad perstandum in officio, debitumque successori suo obsequium hortatur. His peractis, verba insigni sanctimonia condita profundit:

"Deo meo, inquit, gratia, memoria, visus, auditus, reliquique sensus mei tam vivaces, tam vegeti quàm alias unquam; ast ab hoc mundo alienatum cor meum, et quorsum Domine Jesu, corde meo non fruereris cui soli in illud jus? In hoc per totam vitam incubui ut illud tibi dicarem ac consecrarem: illud quæso assume ut tecum commoretur." Hæc locutum invadit lenis quidam somnus, ex quo experrectus summo affectu flagrat dissolvi, et esse cum Domino: "Veni, inquit, Domine Jesu, fragilis hujus vitæ filum abrumpe; matura, Domine, ne tarda. Jesus me redemit, non ut caducam hanc, verum æternam vitam indulgerit. Veni, Jesu, largire vitam propter quam redemisti me." Astantes flebili planctu vicem suam in ejus obitu deflent: At ille, "Omnes hujus vitæ gradus emensus sum; ad novissimum perveni; cur retrogrederer? Hunc gradum, Domine Jesu, tuo favore feliciter emetiar. Deduc me in eam gloriam, quam per speculum tantùm vidi: utinam apud te diversarer." Qui astabant significant diem posterum Sabbathum esse, unde in hæc verba erumpit, "Tuum Sabbathum, Domine, æternum meum Sabbathum inchoet; auspicia sumat æternum Sabbathum meum a Sabbatho tuo." In mediam fere noctem modicam nactus est quietem, quam confestim morbi vis interrupit, supremamque horam adesse ratus D. Walterum Balcanquellum accersit; quem ingressum sic alloquitur: "Quod diutissimè munus pastorale Edinburgi obieris, quodque non recens nostra

amicitia, accersendum te curavi, ut reverentiam, qua semper a cunis Christi ministerium prosecutus sum, testatam facerem. Ego quidem pro modulo doni preces in sinum Dei fudi; tu quæso pro me precum sacra peragito; ego corde et affectu sequar: interim ne protrahi vitam hanc flagita." Provolutis omnibus qui aderant in genua preces celebrat Balcanquellus. Inter reliqua flagitat vellet Deus tanti viri diuturniorem usuram indulgere, cùm Ecclesiæ et Reipublicæ salus tantoperè eum poscant. Rollocus sic orantem interpellat, "Satius, inquit, mihi hujus vitæ, unicè in votis habeo vitam cœlestem cum Deo in Christo reconditam." Consummatis precibus in verbi prædicati encomia erumpit: "Verbum, inquit, Dei potentia ad salutem, Dei sapientia, vita; nec ulla ulli absque verbo salus: non est, credite mihi, exigui momenti negotium verbum prædicare: perinde non est ac Platonis Aristotelisve textum interpretari, aut orationem pigmentis ac lenocinio sermonis oblitam recitare: in sanctimonia, humilitate, efficaci spiritus demonstratione situm est verbi præconium: quanti illud semper fecerim novit Deus." Dein ad preces revertitur: "Veni, inquit, Domine Jesu, horum oculorum nervos abrumpe, alios mihi largire: cupio dissolvi ac tecum esse: matura venire, Domine Jesu, ne ultra differ; egredere pusilla vita, ut ingrediatur melior illa vita Dei: insere, Domine Jesu, huic corpori manum tuam, arripe tibi animam istam." Cum aliquandiu mane quievisset silentium tandem hoc sermone abrumpit,

"Veni, Domine, ne morare ; diei noctisque fastidio lassus sum ; veni, Domine Jesu, ut ad te veniam. O dulce faustum ac felix vitæ hujus divortium : veni, Domine, dulcedo mea, emancipato animam hanc ut te marito fruatur." Tum ex astantibus unus, "Ne esto anxius, accelerat Dominus tuus:" cui ille, "Gratum mihi, inquit, istud nuntium. Utinam die crastino exequias meas duceretis." Tum alter, "Beata anima tam Domino vicina quàm tua:" Ille verò, "In me nihil est quod non ducam pro stercoribus ut Christum lucrifaciam : Christus unica solatii materia : omnis justitia mea pannus immundus." Interrogatus nunquid pastoris ullius alloquium flagitaret, respondit, "Non creaturum se iis molestiam quòd ad concionandum se accingerent : Sinite, inquit, me psittaci instar cum Domino meo balbutire." Certior factus inchoatam concionem ; "Da mihi, inquit, Domine, ea videre quæ in præsentia alii audiunt." Sabbathi meridie sic eum affatur quidam ; "Per omnem vitam tuam indefessa opera sedulisque laboribus Dei gloriam promovisti :" tum ille, "Mihi unica gloriandi materia misericordia Dei, in Christo Jesu, alia omnia damna duco." Dein sopor quidam mollis eum invadit, qui in vesperam occupat : quo discusso ingressus ad eum supremi Senatus præses, cui Edinburgi eo anno præfectura obvenerat, eum sic alloquitur : "Academiam curæ Magistratuum quibus tu, Domine, præes serio commendavi ; tu etiam eandem in patrocinium tuum suscipe : experiatur, quæso, te parentem ac Mæ-

cenatem. Cum pro excelsa dignitate qua in republica præcellis, et amplissimo munere quo te honoravit Deus, Ecclesiæ opem ferre possis, ne, quæso, eam subtrahe: in ejus præsidium artus ac vires tuas intende, summo conatu in id incumbe, ut salutem consequaris in Christo Jesu: mundana hæc omnia fluxa sunt, moxque flaccessent. Deus te, tuam conjugem, universam familiam benedictionis suæ thesauro cumulet." Eadem illa nocte has voces emisit: "Tranquilla mihi mens in corpore ægro: mortis, peccati et Satanæ metu non angor, nullum illis in me imperium: sic tamen morbi pondere premor, ut longè præter spem in hanc horam supersim. Dominus quasi in mortario pistillo ægritudinis me tundit, ut ad regnum suum formet." Octavo Idus Februarii, "Mirum, inquit, videri potest, cum tam acerbè morbo discrucier, tamdiu protrahi vitam meam; verùm per patientiam Domini beneplacitum præstolabor; connivebo, connivebo; agat ille mecum pro libito, non disseram cum eo. Quid est homo ut cum Deo disceptare audeat? Imò si in orcum detruderet, parendum, non responsandum. Gratiam fac mihi, Domine, propter Christum Jesum. Non erubesco confiteri nunquam me tam sublime notitiæ Dei fastigium attigisse quàm hoc morbo. O quam horrendum in manus Domini incidere! sed reposita est mihi misericordia in Christo. Quid contristaris, anima mea? Quid te dejicis in me? Obveniet tibi mox aspectus et congressus amœnissimus." Cum advesperasceret,

"Experior, inquit, sexti psalmi veritatem; ac aliqua ejus verba recitat: Gratiam fac mihi, Jehova, quia languore pressus sum: cura me, Jehova, quia conturbata sunt ossa mea," etc. Interjecta modica pausa sermonem iterat: "Christus portabit jugum meum, et ego ejus gratia fultus sequar." Cum morbi acerbitate torqueri eum animadverterent astantes, lacrymas, planctus ac singultus cient; quos ille increpat; "Ne meam vicem, inquit, sed peccata vestra deflete: cùm nemo a peccato immunis nemini fletus materia subtracta est. Quòd ad me, ego omnium complementum ac consummationem mox videbo." Vesperè ex cognatis unus ad eum ingressus sermone impio bilem ei movit; ab eo flagitat vellet in cælos receptus mediari pro se reliquisque amicis: Hoc audito ira fervens repentè corpus imbecillum ac ferè exanime erigit: "Ego, inquit, munus illud abnuo, Christus unicus Mediator." Non mùlto post invisit eum frater natu major, "Tu, inquit, cognatum nostrum increpa, mone alium capessat vitæ tramitem; alioqui nulla ei salus, certissimum exitium." Ab hoc tempore oblatum alimentum respuit; "Non, inquit, edam aut bibam usque dum in regnum cœlorum transferar." Funeris curam Gulielmo Litillo et Gulielmo Scoto amicis integerrimis (quorum amicitiam non vacillantem frequenti elogio ornavit) commendat. "Cur non, inquit, mihi esset hujus corporis cura? illud siquidem glorificandum, et conformandum tandem glorioso Christi corpori:" et manus intu-

ens; "Istæ etiam manus, inquit, illustri gloria fulgebunt." Exinde sermo ei submissior et contractior, verba tamen fortia ac efficacia, gaudium cœleste spirantia ac redolentia, quæ placidus somnus excepit, qui cum aliquandiu eum occupavisset, placidè ac suaviter Creatori ac Redemptori suo animam commendat. Et quamvis extinctus, notas tamen oris pallor non confundebat, verùm temperato quodam rubore perfundebatur. Obiit sexto Idus Februarii 1598, veteri calculo (qui tum in usu) expleto jam ætatis suæ Anno 43. Erat statura mediocri, colore rubido cui candor quidam admistus, coma subrufa, vultu ad comitatem gravitatemque pariter facto; valetudine parum firma, quam mirum erat ad tantos labores sufficere potuisse, singulari pietate, sanctimonia, vitæ innocentia, quam vel inviti admirabantur et laudabant ipsi veritatis hostes. In vocatione sua fidelissimus et vigilantissimus, assiduus in studiis et meditationibus, ab otio suprà quàm facilè credas abhorrens: fidem tamen facere possunt tot tam paucis annis (etiam corpore morbis et ægritudinibus debilitato) editi ab eo docti et elegantes commentarii. Pacis amantissimus, injuriarum patientissimus, ad condonandum facillimus. In ferenda de aliorum vita dictis factisve sententia perquam æquus ac moderatus: Secus ab aliis prolata præstitave semper (quoad fieri potuit) in meliorem partem interpretatus est. In communi consuetudine et amicorum consortio apprimè humanus ac jucundus, in con-

siliis fidus, in colloquio affabilis et comis. In rebus seriis gravis ac prudens (quod in publicis Ecclesiæ negotiis procurandis omnibus fecit manifestum) in consilio aliis impertiendo promptissimus. Has vero eximias virtutes ornabat admirabilis humilitas, qua quamvis plurimis præstantissimis dotibus alios ferè omnes anteiret, tamen ne infimum quidem fastidiosè despexit, quin potius sese omnibus submisit. Ad humilitatem accessit incredibilis modestia et animi moderatio, ut quamvis multorum convitiis ac calumniis publicè ipso audiente immerito impeteretur, nunquam auditus sit convitia regerere, aut calumniatores recriminari, aut vocem aliquam contra detractores emittere, sed bonæ conscientiæ testimonio fretus tacitum sese continuit. Semel tantum pro concione apologia usus est, tanta moderatione, ut neminem vellicaret, nullius famæ detraheret, neminem insimularet, nemini crimen impingeret, sed sinceritatem tantum suam coram Deo et ipsius Ecclesia testatus sit. Studia sua cum familiaribus communicabat eamque discendi viam sæpè utilem sibi ac fructuosam testatus est. Sed cesso de eo plura, quæ satis multa dici poterant, et fortasse debuerant : sed omnibus in propatulo sunt ejus virtutes, et tam modesto genio sobrium laudis decus competit. Ejus decessus fama quantas lacrymas, quæ suspiria, quos singultus, per universam urbem ac regionem concitârit relatu ferè incredibile. Senatus, Academia, civitas, plebes, singuli tanquam in domestico luctu

mœrebant, funus majori quàm aliàs consuetum Edinburgi celebritate decoratur. Turmatim enim omnes, tam supremæ quàm infimæ sortis homines, et quidem omnis sexus, omnis ætatis ad illud ornandum confluxerunt.

IN OBITUM

D. ROBERTI ROLLOCI,

VIRI UNDEQUAQUE DOCTISSIMI SUMMI THEOLOGI,

VITÆ INTEGERRIMÆ, JUDICII ADMIRABILIS,

LABORIS INDEFESSI,

EDINBURGENÆ ACADEMIÆ DOCTORIS PRIMARII,

ET ECCLESIÆ CHRISTI PASTORIS VIGILANTISSIMI,

EPITAPHIA.

SICCINE materiam
  Tristis repentè næniæ
Ferrea Melpomene
  Obtrudis invito mihi?
Siccine præripitur
  Ætatis ante terminum
Gloria magna suæ
  Rollocus ille patriæ?
Siccine conticuit
  Vox illa pridem præpotens
Corda ciere piis
  Addicta concionibus?

Siccine succubuit
  Sacri satellitum gregis
Sedulus ille labor
  Tot egerens examina?
Siccine vena perit
  Nunc illa sacros codices
Dedita dulciloquis
  Lustrare commentariis?
Scotia moesta dole,
  Planctus, Edinburge, excita.
Gymnasii cecidit
  Rector, decorque ingens tui.
Talia tam properè
  Prærepta nobis lumina
Quid nisi celsitoni
  Minantur iram numinis?
Ille quidem lachrymis
  Remotus inter cœlites
Degit: at assiduas
  Nobis reliquit lachrymas.

ROBERTUS PONTANUS.

DE me, deque meo meruit tua fratre voluntas,
  De te verum index ut moriente loquar.
Nobiscum hunc orbem donec Rolloce tenebas,
  Mortales inter Numinis instar eras.
Morte (quod optabas) idem nunc additus astris,
  Implebis merita laude superstes humum.

M. A. RUTHVENUS.

Non ibi mens animi est, ubi nos animatque movetque;
Est ubi amat: gravibus vox bene nota viris.
Vir præstans animi, et gemino succensus amore:
Dilexitque Deum, demeruitque gregem.
Ut vivus cœli coluit suprema Rolocus,
Sic nunc in superis, sic ut avebat, erit:
Ut vivus docuit lingua prudente Rolocus,
Sic nunc doctrinæ perpetuabit opus.
Nempe ibi mens animi est, ubi vis ardebat amoris;
In Christi arcano Christiadumque sinu.
Ergo Roloce vale, et quem mentis amoribus altæ
Semper anhelâsti, jam fruere usque Deo.

Had. Damman à Bistervelt.

Rollocum extinctum quàm primùm viderat, exul
Exule Relligio cum pietate abiit.
Multa gemens Sophia, et vestes sine lege coercens,
Se trepidæ sociam junxit utrique fugæ.
Rolloco terras cœlo mutante, fuerunt
Ut comites vitæ, sic abiere viæ.
Ante tamen lachrymas fudere in funere mœstas,
Et tumulo sectas imposuere comas.
Nec jam, si verum profitebimur, hospita sedes,
Numinibus tantis ulla relicta manet.
Scilicet his nostris in crimina euntibus annis,
Qui rapidum cursum sisteret unus erat.
Non vitam livor, moresve calumnia rodit,
Quo dentem intendant non habuere locum.
Quid sapere, et quid sit benè vivere, discite stulti:
Quàm pia vita fuit, mors pia testis erit.

M. Tho. Cragius.

VITA gravis, sancti mores, vis ætheris alti
  Corda replens, alios in sua jura trahit.
Candida simplicitas, in aperto pectore virtus
  Innocua, ingenuo fama labore eluet.
Talis erat, major venienti surget ab ævo:
  Morsque viro frustrà est injicere ausa manum.

JO. JOHNSTONUS.

ΡΟΛΛΩΚΟΝ δεινησιν ἀτασθαλίησι λύθεντα,
  Σώματος ἠδ' ἄινȣς ἐυθυς ἄφεντα πόνȣς
Οὐλύμπονδ' ἀναβαντα Θέȣ̃ βουλησις ἄνωγεν
  Αἴεν τῷ Χριςῷ συμβασιλευέμεναι.
Ἄςρα γαρ 'ωφλησαν βαινειν ἐπι δύσβατα, πίςις.
  Εὐσέβιη, κόσμος, παντοδαπαιτ', ἀρεταὶ.
Κὰι προτερον γ'ἶκειν ἐις ȣ̓ρανον ἔπρεπ' ἀληθȣ̃ς
  Ἀ'λλȣς παιδέυσανθ' ἄγνα κελευθα πατε̃ιν.

HENRICUS CHARTERISIUS.

ALIUD.

DUM vitam ambiret, toto vivebat in orbe
  Rolloeus, solis qua micat igne globus.
Vidit et ingemuit, non hæc mea vita, nec orbis
  Jure, inquit, civem me ferat esse suum.
Vita mihi est Christus, cœlum est mea patria, cunctæ
  Res mundi mihi sunt stercora, damna, nihil.
Audiit hos gemitus summa qui spectat ab arce:
  Ergo veni in patriam, mox ait, ergo veni.
Jam jam adeunda tibi est fulgentis regia cœli;
  Ut vita optata sic potiaris ovans.

ALIUD.

QUÆRIS viator tumulus iste quem tegat?
Nemo referre posset hoc plenè tibi.
Audire verbo si tamen verum cupis?
Operta virtus omnis hoc cippo jacet.

HENRICUS CHARTERISIUS.

IN ROLLOCI PRÆCEPTORIS OBSERVANDISSIMI OBITUM, ATTONITÆ MENTIS INCONDITA PRIMUMQUE ERUMPENTIA ΠΑΘΗ͂.

AH! quid agis, mi anime, an mœres? mea lumina fletin?
  Cur? obiit Rollocus meus; immò abiit.
At quò abiit? quò me toties raptavit: An ergo
  Grataris tu illi, an fles tua damna, modò?
Heu ubi amor? fateor lætandum, at torta trahit me
  Huc natura; trahet me usquequa, et usque gemam.
Suspirabo animæ extremum ad suspirium, idem te
  Dum mihi, vel tibi me quod rapuit, referat.
Ergo ades, adsis, inquam, huc ocyùs, arripe filum
  Atrope; quid moror ultrà? Ut trahat ille viden?
Te mi amor, et mea lux, sequor, assequor. Accine laudes
  Qui potes, et moeror cui superabilis est.
Nam me delirare vides, atque obrui; et hic se
  Nec fletu ornari, nec sua funera, vult.
Quin frustrà sumus; ergo sile, nam quis satis illum
  Æquet dicendo, et Christus id ipsus aget
Luce sua illustri: intereà monumenta tot auctum
  Semper laude nova, et posthumo honore, dabunt.
Reptantem sed humi ista decent, nandi inscium ut utres:
  Tu, hic etiam usque choro cœlituum intereras.

Eâdem accepti nuncii tristissimi nocte raptim, et velut in procinctu sine arte profusa.

ROBERTUS BODIUS.

Fleant parentum si orba mortem pignora:
Turba ducem ademptum castra si sequentium:
Si fata frater fratris amissi gemat:
Justi doloris hæc dies quantam attulit
Lacrymosa causam? quæ virum tantum abstulit,
Virum jubar Britanniæ, et patriæ decus;
Cui nulla similem, nec secundum ætas dabit.
Lacrymosa Patriæ, Ecclesiæ, Urbi, Academiæ:
Qua sustulit fratrem, patrem, et pium ducem,
Ecclesiæ, huic Urbi, Patriæ, et Academiæ.
Hoc ergo tumuli fossilis sub aggere
Ecclesia, Patria, Urbs fleat, et Academia.

Gulielmus Cragius.

Splendebas nitido totum fulgore per orbem,
Et tuus Edinum, Scotia, splendor erat.
Edini splendor Sophiæ pia dogmata clara:
Rollocus sophiæ dogmata clara dedit.
Scotia et Edinum precibus pete, clarus, adempto
Rolloco splendor ne tuus intereat.

Aliud.

Hic jacet extinctus, genuit cui Scotia nunquam
Doctrina atque animi simplicitate parem.
Cujus ab ore sacro Sophiæ scatuere perennis
Flumina: spirabat vitaque morsque Deum.
Quis memoret plusquam mortalia munera mentis?
Quo fingi cœlo splendida facta queant?
Hinc reliquum, effigies poterit quæ nulla referre,
Clara Timantæis pingere facta notis.

ALIUD.

QUI patriam patri offenso patriæque parentem
Reddidit, est patriæ redditus ipse suæ.

JOHANNES ADAMSONUS.

QUAM spe præcepit, votis ambivit, amore
Arsit, habet patriam dia propago suam.
Scilicet exilii illecebras qui sprevit et odit
Tantum hilaris mentis dexteritate novæ,
Jure tot ereptus, quot habet mala vita, procellis:
Hinc abit, et patria sidus in arce micat.
O Dolor, ô desiderium, ô lugubria fata!
Quantum agit in miseros ira tremenda Deûm,
Pergat et in prædam si vindice numine tollat
Orbi oculos, populum quanta ruina manet?
Legatos revocant jam quid, nisi cogitat arma,
Stringat in hostiles quæ gravis, ira manus?
Hinc Deus avertat, per vulnera sacra, sinistrum
Omen, et in populo regnet ametque suo.
Vos quibus incumbit tanti metus inde furoris.
Exoraturas tollite in astra manus.

DAVID BERCLAIUS.

QUAM rarum hæc Libitina tegat, queîs dotibus auctum,
Gymnasium, Patria, Ecclesia sero sciunt.

ALIUD.

TURBIDA sollicitæ pertæsus tempora vitæ
In patriam, Rolloce, meas; ubi suavis ovanti
Se præbet Christi facies, propiorque micantem
Irradiat longum sperato lumine, manes

Temperie æterna sanctos splendore coruscans.
Heu tamen ad miseros quantam transmittis amicos
Moestitiam, Hyblææ viduatos nectare, linguæ.
Et quibus indomitæ discordis semina turbæ
Componenda. Tuis Academia fulta lacertis
Illachrumat gemebunda suo te orbata parente.
Sed non extinctus terrenæ hoc funere massæ:
Quippe pia ingenii monumenta, et fama laboris
Enthea; qua patulum sese diffundit in orbem
Relligio, celebrata vigent: tua posthuma proles
Clarabit memorem memorati patris honorem.
Tuque diu optati satiatus numinis haustu.
Æternum placida compostus pace quiescis.

Præceptoris manibus mæstus
parentavit Discip. JOH. RAIUS.

INSUETA obduxit vultum caligine Phœbo
Cynthia. Venturæ præscia noctis erat.
Bissenis vicibus vix rursum Cynthia fratri est
Juncta, Caledoniæ cum alter ocellus obit.

GEORGIUS GREIRIUS.

IS Rollocus erat, quales plerique videri
Optant, sicque mori, vixit ut ille, volunt.

GULIELMUS ARTHURUS.

TE, Rolloce, extincto, urbs moesta Academia moesta est,
Et tota exequiis Scotia moesta tuis.
Uno in te nobis dederat Deus omnia, in uno
Te, Deus eripuit omnia quæ dederat.

THO. BELLENDENUS.

D. ROBERTI ROLLOCI.

Secla priora una viderunt luce cadentem
Solem unum, binos hæc videt una dies.

Jo. Scotus.

Triste solum haud miror si tu, Rolloce, relinquas
Et fortunato stes super astra loco.
Scilicet humanum genus illis vivere par est
Sedibus; his magnos convenit esse Deos.
Moesta tamen patria est, et te sibi plangit ademptum;
Et princeps cujus sub ditione manet.
Moesta gemit conjunx tanto viduata marito:
Et populus moestum prædicat ore diem.
Aspice quàm, nutrita tuo tibi lacte juventus
Moesta sedet, cupiens te moriente mori.
Et patria, et conjunx, pubes, Respublica, Princeps,
Omnia in hoc uno sunt miseranda viro.

Aliud.

Sis major vita, Rolloce, an morte requiro:
Cum superet cunctos vitaque, morsque tua.
Sprevisti vitam, vicisti mortem: erit unde
Hoste triumphato laurea serta feras.
Cœlicus in terris vixisti, mortuus idem,
Inter cœlicolas cœlica regna tenes.
Vita tamen quàm mors major: Namque illa beatè
Acta dedit placidè sic potuisse mori.
Regna sibi Reges habeant, diademata, fasces:
Dum tecum liceat vivere, sive mori.

Nathanael Vdvartvs.

Sydera, cum superum applausu, novus incola scandit
Rollocus, et fati lege Minister obit.
Hunc labor, ingenium, probitas, vigilantia, charum
Fecere in vita civibus esse suis.
Post mortem, pietas docuit transmittere nubes.
Sinceræ hos fructus Relligionis habet.
Sparge igitur flores, et fletu parce viator:
Cui Deus hos artus abstulit, astra dedit.

G. Duglassius.

Dum vires ostentat, et in terrestria vastum,
Terrorem vult mors ingerere atra sui:
Rollocum invadit vitæ mortisque magistrum;
Et pia lugubri sub pede colla premit.
Nil agis, ô truculenta: paris pro funere vitam:
Non moritur quem mors ad meliora rapit.

Aliud.

Deliciæ humani generis, Rollocus, imago
Maxima mansueti, quam docet ipse, Dei.
Quem doctum mirantur, amant nitemque, bonumque
Cum populo proceres, Rexque Patresque pio,
Ante diem primo cadit immaturus in ævo:
Frustratus patriæ votaque spemque suæ.
Heu, quis non timeat mortem tetricamque, trucemque
Parcere si doctis, si negat illa bonis.
At quis nunc timeat mortem, vel sæva minantem?
Perdere si doctos, si nequit illa bonos.

EJUSDEM DE EODEM, QUI CUM AD EUM DIEM LIBERIS CARUISSET, UXOREM RELIQUIT PUERPERAM.

Tot tibi qui genuit natos, Ecclesia, natum
Vix unum moriens liquerat ille sibi.
Par fuit æternum sterili sobolescere morte,
Qui vixit Phoenix; jam parit et moritur.

David Humius *posuit*

Qui vita docuit Christum, qui dogmate Christum,
Rolloeus vera simplicitate, fide.
Post tenebras furvas, quas verbi sole fugârat,
Nunc clarum in claro lumine lumen habet.

ALIUD.

Dum suavitate vitæ, et innocentia,
Candore pectoris, morum, et industria:
Dum sedulis laboribus, et illustribus
Scriptis suis, et exteros Christum docet
Rolloeus, et cunctis viam ad cœlum struit:
Dum principem et populum, viros et fœminas,
Juvenes, senes, mulcet, docet, ducit, trahit:
Tantis laboribus imparem, mortalibus
Tantum virum spernentibus, Christus rapit.
O te beatum! heu nos miserrimos! eheu.

Alexander Humius.

Quodcunque terræ pergit ad orbitam
Vinclis ligandum se dat aheneis
Contagionis, neu retrorsum
Ire queat superos ad orbes:

Quibus solutum lumine perpetim
Motuque solis, mox petet infimum
Lunam polorum; quippe crassæ
Deposita gravitate terræ.
Rollocus hujus Dædalii soli
Divinus hospes, se quoque terrei
Velitque, nolitque imbuendum
Spurcitie dederat theatri:
Non ceu profanum vulgus, et impiè
Contaminantes Justitiæ vias:
Qui sæpè sacras functiones
Flagitiis maculant pudendis!
Verùm potenti lumine Spiritus
Motuque sancti, purior indies
Euasit, attractu supremo
Donec iter peragit reclusum.
Lumen probabunt pneumatis illius,
Qui multa sanctè scripsit opuscula:
Motusque cuivis emicabit
Integritas cui nota vitæ est.
Quare recoctus lumine Spiritus
Motuque sancti, de Jehovæ throno
Potentiori defluentis
Sidereos superavit axes:
Ipsisque cœlis intimus intimis
Visit beatos cœlicolas; ubi
Contagio humano remotus
Liber aget placidam quietem.

Aliud.

Cur ergo functi funera defleam?
Aut tristiori carmine provocem,

Qui quicquid intendit fideles
Exhilaret recreetque mentes?
Omnem relêgat sollicitudinem
Cum Christiana prole beaverit
Omnem angulum tenebricosæ
Gentis, opes animi refundens.
Omnem relêgat sollicitudinem
Rollocus, ingens gloria Scotiæ,
Qui luce cassus inquieta
Æthereas meditatur arces.

GULIELMUS HARTÆUS.

VATUM sonoræ munere barbiti
Æquæva mundo nomina sunt virûm
Quicunque bigis, aut celete, aut
Pancratio meruere pinum,
Laurumve Phœbi; vel Jovis æsculum
Vani laboris munera frondea
Virore jam grato superba,
Jam viridi spoliata honore.
Quanto Camœnis aptior aureis,
Quanto perenni carmine Pindari
Tu dignior, Rolloce, docto
Materies modulanda plectro?
Tu qui ferocis nec fodiens equi
Arinos, citato aut curriculo insidens,
Nec lubrica famam palæstra
Quæsieris, pede nec fugace:
Sed sempiternam qui tibi gloriam,
Vitæ coronam quique paraveris

Vera fide, spe, charitate
    Nil Satanæ insidias moratus
Tu blandientis nec facie illice,
Sed nec minantis tu facie truce
  Mutatus, elusisse doctus
    Quas strueret veterator artes.
Ignita quin tu spicula tempseras
Orci veneno pestifero illita,
  Plutonis amentata dextra
    Quòd fidei tegerere scuto.
Bella intulerunt imperia aeris,
Tenebricosi turbaque sæculi
  Rectrix tibi : tu prælio hostes
    Et superos superâsti et imos.
Bellum inferebant scilicet invidi ;
Ut te beato à tramite flecterent :
  Ne quam coronam æternitatis
    Perdiderant, fruereris olim.
Nequiequam. In altos insereris choros :
Semper tueris conspicuum Jovæ
  Vultum serenum, vultum amandum
    Gaudia habens potiora votis.
Livore major jam frueris polo :
Æterna cingit tempora gloria.
  Quernæ coronæ, laureæque
    Ludibriumpoli ab axe ride.
Quis ludo inani comparet Isthmico
Certamen anceps, serium et arduum
  Tuum ? quis æternam coronam
    Pino, apio, tremulisque baccis ?
Te, pensa templo sidereo Jovæ
Tabella partæ conscia gloriæ

Victoriæ custos tuæque,
Per memores titulos perennat.
At te per orbem nos celebrabimus
Terræ, canemus pro modulo ingenî;
(Sublimis hæc, utcunque nostram
Materies superet Minervam.)
Non laude fias ut cumulatior
Nostræ Camœnæ munere; sed tuo
Hortemur exemplo ut minores
Vitæ ad iter melioris arctum.
Vestigiorumque assiduè ut premant
Callem tuorum, ut quæ loca possides,
Laboribus defuncti et illi
Possideant, requie æviterna.

Aliud.

Si Nauta nocte lurida
Polum ducem desiderans
Mœret quòd erret nescius
Obscura quò nox deferat;
Quòd horreat latentia
Vel saxa, cæca vel vada,
Vel vorticoso gurgite
Ne absorbeatur protinus.
Tironibus Rollocus est
Æquè gemendus omnibus,
Quorum mari in scholastico
Direxerat cursum modò.
Quot è profundo gurgite
Sophisticorum dogmatum

Ad veritatis littora
Enavigare instruxerat?
At hic id est discriminis,
Quod nocte sidus hac latens
Idem sequente, purus est
Si Jupiter, renascitur.
Rollocus, heu! sed occidit,
Nec orbis ante terminum
Redibit, ejus ampliùs
Cum luce non egebimus.
Nunc jure Scoti dicimur
Densis tenebris obruti;
Hoc destituti sidere
Quod nos beabat lumine.

ALIUD.

ROLLOCUS ille vixit heu!
Qui diffluebat rivulis
Lactis perennis, ceu parens
Ad irrigandos liberos.
Vixit! fleant alumnuli
Cassi pio hoc nutricio;
Et imbre fletuum rigent
Scholam sua incunabula.
Pro lacte, melle, nectare,
Quod ore ab ejus hauserint
Nunc rore salso, et lachrymis
Ejus parentent manibus.

Aliud.

Occidunt stellæ ut veniente Phœbo,
Et diem adesse docent.
Occidens stella hæc monet, et supremum
Non procul esse diem.
Solis adventum monet et propinquum
Justitiæ, imo dei.

Georgius Thomsonus.

In tenebris postquam præluxit Jova Britannis,
Multa Caledoniis fulserunt lumina Scotis;
Qui candore animi, divina voce ministri,
Et face præcipua vitæ integritate misellis
Excussere animis cæcæ caliginis umbras.
Sed tamen occiduis nuper diffulsit in oris
Rollocus vitæ vel prima lucerna beatæ.
Præterea eloquio vir præstantissimus omni,
Divino in primis, cujus vitamque, fidemque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari,
Nuper et indomitæ mortis se condidit umbrâ.
O rerum instabiles casus, et tempora vitæ!
Hoc decus ereptum plangunt Heliconis alumni:
Hunc solem invisum deflent pia corda piorum, et
Scotia lugubri testatur veste dolorem.
Defuncti hanc animam quo carmine compellabo?
Si modò quid pullæ vestes, et inania possent
Munera, nec pullæ vestes, nec munera dêssent.
Sed quid ego invideam melioris commoda vitæ?

Ille suis votis in vita, et morte potîtur.
Psal. 27, 4. Davidicum in terris votum, Rolloce, petîsti,
Davidico in terris voto es, Rolloce potitus.
Nunc frueris voti fructu, Rolloce, valeto.

JOAN. DOUGLASSIUS.

HEU cadis in summo tumulandus lumine vitæ
  Et decus, et patriæ gloria rara tuæ:
Flendus abis, Rolloce, tuis, lachrymisque tuorum
  Materiem præbes, Uraniæque tuæ.
Te pietasque fidesque gemunt, Rolloce, sepultum;
  Astræa ad tumulum stat gemebunda tuum.
Non tamen Uranie, pietasve, fidesve, tuive,
  Tamue Astræa solo quod rapiare dolent,
Quàm gaudent omnes liber quòd pondere terræ
  Æterna felix pace fruare polo.

ALIUD.

O TE fœlicem, quem non mortalia tantum
  Corda, sed extinctum Numina summa dolent:
Verum præcipue Phœbus, doctæque sorores,
  Quæ meritas curant funeris exequias.
Hoc solamen habes, verè post fata beatus,
  Parca cui totum vivere non rapuit.
Rolloce, æternum vives, meliore superstes
  Parte tui, et Musis cognitis usque tuis.
Spiritus ille tuus cœli gaudebit honore,
  Virtutesque tuas fama loquetur amus.

JACOBUS COLDINUS.

Materies fœcunda segesque uberrima laudis
  Me laudare jubent, simplicitasque vetat.
Si taceam laudes, ingrati stigmate inurar,
  Hostis si pangam, simplicitatis ero.
Impetor hic duplici telo, sed utrumque repellam;
  Si pateat saltem simplicitatis honos.
Vicit enim multos pernox et perdius, illa
  Ingenii linquens pignora chara sui.
Quod meritas tempsit laudes, se sprevit, et omni
  Gloriola spreta gloria rara sua est.
Hinc, Rolloce, duplex pennis victoria circum
  Plaudit, et hinc lauro duplice fulget apex.
Hac igitur palma duplici, Rolloce, potitus;
  Ardua cœlicolûm limina scandis ovans.

Adamus Abrenethius.

In Roberti Rolloci funere
Ecclesia lessum facit.

Eccessus, Rolloce, tuus me tristia cogit
  Murmura in extrema fundere canitie;
Et renovat luctusque graves, et funera acerba
  Rolli, Arbuthnoti, Smetoniique patrum.
Hayorumque Andreiæ obitus, et fata Georgî:
  Fataque in eduro Lousonii exilio.
Obductasque cicatrices, et vulnera cruda,
  Ultima quæ telis plurima facta meis.
Verum cui querar ægra? an qui mihi vulnera fecit
  Solus Achillæo tollere more potest.

Aliud.

Unanimes inter quanta ô concordia fratres
  Cur nec ut antè fuit nunc quoque firma manet?
Excessit Rollocus amici nodus amoris,
  Rollocus, ruptæ nexus amicitiæ;
Isthmi instar bimaris geminum qui distinet æstum,
  Hinc atque hinc ne in se mistus uterque ruat.

Aliud in Rolloci mortem nimis properam.

Dux, Rolloce, gregis tener tenelli,
Doctarum decus elegantiarum,
Et morum specimen modestiorum.
Dux, Rolloce, gregis sacer sacrati,
Sal terræ sine fraude, solque mundi,
Et vitæ speculum laboriosæ;
Quo diversus abis? tuos relinquis?
Præsens? anne abiens tuos relinquis?
Absque et spe reditus tuos relinquis?
Invidit tibi nemo sanus unquam
Aut cari emeritum gregis favorem;
Aut c lariaureolum gregis decorem,
Invidit tibi nemo publicata
Castarum intima cogitationum,
Sanctarum abdita lucubrationum.
Invidit tibi nemo gratiam aulæ
Gratam gratiam eam et redintegratum;
Grata ut gratia sit redintegrata.
Invidit tibi nemo propagatum
Sæpè a principe pænè principatum;
Quanquam exorte cum honore principatum.
Nil horum tibi ego, tibi nec ullus

Natu grandior invidet, nec ullus
Unquam sanus: at invidemus omnes,
(Tantillum aut minimum invidere si fas,)
Quanquam non magis invidemus omnes,
Quam lugemus item et dolemus omnes
Istam præproperam hinc abitionem.
A nobis procul hinc abitionem,
Absque et spe reditus abitionem:
Nam anté ut venimus æquum abìre et ante.

De Rolloci Scriptis.

Dux Rolloce, viæ tenax repertæ,
Quæ fert sideream patens in aulam;
Fidorumque ducum comes fidelis
Ursini et Junii, Tremelliique;
Calvini quoque, Bezæ, Oleviani:
Queis vestigia præviis secutus
Signati ingenii notis stylique,
Tuto calle secas viam tenesque,
Certum certus iter sequente planta;
Et pluma volucri poli sub auras,
Mire sedulus et laboriosus,
Scripta exples operosa; ceu melissa
Cellis nectara stipat et recondit
Hausta è floribus aerisque rore,
Delibata poli deique dona.

Andreas Melvinus.

Quæst.

Plebs, Proceres, Princeps, quem cassum lumine lugent
Cur fata (heu) vivo nos vetuere frui?

Resp.

Dignior ille fuit qui in cœli luceat aula:
Luce hac orbari dignior orbis erat.

Aliud.

Porrigeret pietas si vitam, hic debuit omnes
Mortales mortis præteriisse mora.
Sed quando hic obiit præcox, discamus et omnes
Pertæsi hanc vitam posthuma secla sequi.

Aliud.

Pectore, voce, manu, verum (vir sancte) colebas;
Et verum extincti nunc monumenta docent.

Aliud.

Hoc procul à tumulo commenta facessite vatum:
Vera vir hic vivus, vera sepultus amat.
Vana tegat fontes fucatæ gratia famæ;
Nil sibi fucari, nil avet iste tegi.
Testor ego extincti manes, pia numina testor,
Testor et innocuo si quis iniquus erat.
Nullus ei quæsitus honos, opulentia nulla:
(Nunc quibus, heu, pietas pestibus ægra gemit)
Pro Tricis Apinisque habuit genus, atria, censum:
Res vitæ, ad voti spes, ratus esse nihil.
Stet modò majestas Christo sua sarta, salusque
Humanum à Stygio vindicet hoste genus.
Ergo reapse bonis cultus, probitate remissis
Gratus, et indignis denique mirus erat.
Nunc vitam hanc sanctam requies tam sancta coronat.
Sydera tam certò nunc redivivus habet:

Nemo sequi ut sanus vivi vestigia nolit,
Et propiore mori Numine nemo velit.

EPIPHONEMA.

O TE satum fœlieiter,
Fotumque te feliciùs,
Funetumque fœlicissimè
Noster Cato, Plato, Numa.
O ter beatum et amplius
Et vita, et ortu, et funere,
Quis te referret æmulus,
Rolloce, noster indiges!
Æternùm salve atque vale, - - -
- - - Decus addite Divis.

HERCULES ROLLOCUS.

ROBERTI ROLLOCI THEOLOGI EDENBURGENI MORS.

ROLLOCI æthereas emigratura per auras,
Cùm foret ad summum mens pia, pura, polum:
Mens mea perfer adhuc te cœco hoc carcere claudi:
Exibis jam jam libera: carpe gradum;
Dixit: et erumpens istâ campage solutá
Corporis exanimi mox videt ora Dei.

Epigramm. JOANNIS DUNBARI Cent. VI. 44.
[Lond. 1616, 8vo.]

UNTO THE TOWN AND KIRK OF EDINBURGH, ANENT THE DEPARTURE OF THAIR MAIST GODLIE, LEARNED, AND PAINFULL DOCTOUR AND PASTOUR, M. ROBERT ROLLOK.

SONNET I.

Thy Divine Doctor deirest now is deid,
Thy peirles Preicher now hes plaide his part:
Thy painfull Pastor, quha in love did leid
Thy little Lambes, with sweit and tender hart,
Hes dried his dayes, with fair and bitter smart,
To purchase pleasand profit unto thee.
His words, his warks, his wayes, his vertues gart
Thee get this gaine of great felicitie.
How thou suld live, and how that thou suld die
In Jesus Christ, he hes in word and deid
Declared and done unto thine eare and eye,
Als weill as thou could ever heare or reid.
O follow then, till thou atteyne to this,
And schaw a thankefull hart to him and his.

II.

Richt happie war his hearers when he lived,
And happie war his hearers at his dead:
Bot happier quha heiring baith, believed
That word of life, quhilk cannot fall nor fead.

I heare how humblit mekill dule was maid
Be all his hearers, at the buriall :
And justly; for he stude them in great stead,
To leade them to the life celestiall.
Bot let us Pastors, and you people all,
Haste to that happines wherein he is:
Professing truly Christ, on quhom we call,
As he hes teached and practised quhom we mis:
Sa sall the preassing to his halines,
Mak us atteyne unto that happines.

To the Defunct.

Of Christ thou was the Pastor, and the scheip
That hard his voice, that lovinglie obeyit,
That fed his Lambis, and cairfullie them keipt
With painfull labour, and na tyme delayit,
On Christ thy hart was haillie set and stayit;
Of Christ thou ever thocht, thou spak and wryte;
With Christ thou wissed all thy warkis arrayit.
In Christ, in life and deid, was thy delyte.
Be Christ, nocht ellis, thou socht to be perfyte;
And finallie thy Christ to the was all,
Sa hes he cround in thee that wark sa greit,
And brocht thee his blis perpetuall.
O! micht I follow as I cleirlie see,
Thy rare example! sa to live and die.

M. I. Melvill.

CATALOGUS OPERUM D. ROBERTI ROLLOCI, QUORUM ALIQUA EXCUSA, ALIA MOX EXCUDENDA. [A. D. 1599].

EXCUSA.

Prolegomena in primum librum Quæstionum Theodori Bezæ.
Commentarius in Pauli Epistolam ad Ephesios [Edinburgi, 1590, 4to].
Commentarius in Danielem Prophetam [Edinburgi, 1591, 4to].
Analysis Logica in Pauli Epistolam ad Romanos [Edinburgi, 1594, 8vo].
Tractatus de Foedere Dei; et de Sacramentis [Edinburgi, 1596, 8vo].
Tractatus brevis de Providentia Dei.
Tractatus de Efficaci Vocatione [Edinburgi, 1597, 8vo].
Commentarius in utramque Pauli Epistolam: ad Thessalonicenses, et ad Philemonem [Edinburgi, 1598, 8vo].
Commentarius in quindecim selectos Psalmos [Genevæ, 1599, 8vo].
Commentarius in Evangelium secundum Joannem [Genevæ, 1600, 8vo].
Conciones aliquot sermone vernaculo editæ [Sermons, &c. Edinburgh. 1599, 8vo].

MOX EXCUDENDA.

Commentarius in Epistolam ad Colossenses [Edinburgi, 1600, 8vo].
Commentarius in Epistolas ad Corinthios [Herb. Nass. 1600, 8vo].
Analysis Logica in Epistolam ad Galatas [Londini, 1602, 8vo].
Analysis Logica in Epistolam ad Hebræos [Edinburgi, 1605, 8vo].
Commentarius in duo capita prioris Epistolæ Petri [Londini, 1603, 8vo].
Tractatus de Justificatione [ext. ad finem Anal. Log. in Epist. ad Hebræos].
Tractatus de Excommunicatione [Londini, 1604, 8vo].